

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
SERIES NOVA
REDIGIT ANTONIUS PIRNÁT

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM
DECADES

TOMUS IV. — PARS II.
APPENDIX • FONTES • INDEX

EDIDERUNT
MARGARITA KULCSÁR ET PETRUS KULCSÁR

AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM
MEDII RECENTISQUE
AEVORUM

Ladislaus Juhász anno MCMXXX primum volumen huius seriei edidit, dein usque ad annum MCMXLVI tomi XXXIX impressi sunt, qui opera ab auctoribus Hungaricis, Italicis, Germanicis Croaticisque lingua Latina saeculis XII—XVI scripta continent. Haec opera plerumque aut inedita erant, aut edita quidem, sed ea ratione, quae nostris temporibus haud satis apta videatur. Maxima pars eorundem operum post editionem criticam nostrae seriei in lucem non prodiit. Quae cum ita sint, volumina huius seriei etiam nunc maxime necessaria sunt omnibus illis philologia atque historia litterarum vel rerum gestarum eruditis, qui rebus pristinis populorum Europae Mediae Orientalisque pervestigandis operam navant.

Ladislauum Juhász valetudo diu infirma, deinde mors prohibuit, quominus libros edendos curare pergeret. Institutum Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricae atque Aedes Academiae seriem intermissam renovare susceperunt.

Ubi volumina prima novae seriei in lucem prodierint, exinde etiam exemplaria tomorum ante annum MCMXLVI editorum emi poterunt.



AKADÉMIAI KIADÓ
BUDAPEST

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM DECADES
TOMUS IV. — PARS II.
APPENDIX • FONTES • INDEX

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

CONDITA A LADISLAO JUHÁSZ

SERIES NOVA

TOMUS I.

CONSILIUM EDITORUM

ST. BORZSÁK, I. HORVÁTH, T. KLANICZAY, L. MEZEY, G. SZÉKELY

REDIGIT

ANTONIUS PIRNÁT

**INSTITUTUM LITTERARUM
ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE
SECTIO LITTERARUM RENASCENTIUM**

ANTONIUS DE BONFINIS

RERUM UNGARICARUM
DECADES

TOMUS IV. — PARS II.

APPENDIX · FONTES · INDEX

EDIDERUNT

MARGARITA KULCSÁR ET PETRUS KULCSÁR



AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST 1976

12
I. köt.
(Cl. Ph. II. 2.)
100,741.



ISBN 963 05 0515 0

© Akadémiai Kiadó, Budapest 1976

Printed in Hungary

CONSPECTUS RERUM

Ad lectorem	7
Appendix Bonfiniana (Praefationes, epigrammata aliaque scripta editiones Decadum adornantia)	
I. Martinus Brenner Francisco Révai	11
II. Robertus Winter viris doctis	15
III. Catalogus auctorum	16
IV. Iohannes Herold Francisco Révai	16
V. Iohannes Herold: Annotationes in historiam Bonfinii	19
VI. Basilius Fabricius de Szikszó: Praefatio	71
VII. Basilius Fabricius de Szikszó: Epigramma	79
VIII. Michael Paksi: Epigramma	80
IX. Paulus Thúri iunior: Epigramma	81
X. Adamus Tordai: Epigramma	81
XI. Caspar Decsi: Epigramma	82
XII. Paulus Miskolci: Epigramma	83
XIII. Demetrius Hunyadi: Epigramma	84
XIV. Paulus Gyulai: Epigramma	84
XV. Lucas Cracerus de Beszterce: Epigramma	85
XVI. Franciscus Kopácsi: Epigramma	86
XVII. Iohannes Pécsi: Epigramma	86
XVIII. Valentinus Tolnai: Epigramma	87
XIX. Iohannes Zilahi: Epigramma	88
XX. Georgius Serarius de Kolozsvár: Epigramma	88
XXI. Demetrius Agricola de Szikszó: Epigramma	89
XXII. Iohannes Pesti: Epigramma	90
XXIII. Caspar Heltai: De origine Hunnyadiorum	90
XXIV. Caspar Heltai: Epilogus	92

XXV.	Iohannes Sambucus caesari Maximiliano II.	93
XXVI.	Carolus Utenhove: Octastichon in Iohannem Sambucum	98
XXVII.	Condiscipuli ad Iacobum Meskó de Széplak	99
XXVIII.	Iacobus Meskó de Széplak ad lectorem	100
XXIX.	Quidam pater Societatis Iesu nomine ignotus ad lectorem	100
XXX.	Carolus Andreas Bél: Praefatio	101
 Auctores a Bonfinio laudati		103
 Fontes Decadum		107
 Correctio mendorum, quae in editione Decadum occurrunt		153
 Index nominum, quae in Decadibus et in Appendice proferuntur		161

AD LECTOREM

Anni paene quadraginta praeterierunt, ex quo Ladislaus Juhász adiuvantibus Iosepho Fógel et Bela Iványi opus grande Bonfinii, quod maximi ad historiam Hungariae scribendam momenti effectusque adhuc eximii est, edere inceperat. Tomus primus, secundus et tertius, qui decades I–III continebant, anno MCMXXXVI editi sunt. Anno MCMXLI Iosephus Fógel e vita excessit, sed ut operi interfuisse videretur, socii eius in parte prima tomi quarti annum MCMXLI imprimendum curaverunt, quamquam hic tomus anno MCMXLV prelum reliquit. Editio hoc tomo editio textus Decadum completa est, quod opus ipsum laude dignum est, haudquaquam autem usui sufficit, ipse enim textus ne prius quidem ineditus fuerat. Tum denique illa pars editionis praeparari coepta est, qua maxime opus erat: imprimis index nominum, sine quo res gestas pervestigantibus magna multitudine materiae a Bonfinio perscriptae uti difficillimum vel paene impossibile est.

In introductione tomi primi editores promiserunt se in tomo ultimo etiam commentaria de fontibus Bonfinii duros, necnon praefationes, carmina gratulatoria et cetera editiones priores operis Bonfinii ornantia iterum edituros, quod homines doctos molestis editiones veteres in manus sumendi liberavisset. Materia Indicis quadraginta fere milia scidarum complectens anno MCMLXVIII iam confecta erat, ut L. Juhász eodem anno declaravit. Anno MCMLXIV B. Iványi mortuus est, Juhász autem, morbo semper gravescente, retardabatur a scribendo, atque anno MCMLXXI etiam ille de vita decessit. Inter relictas manuscripta eius, Instituto Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricae coempta nihil materiae ad partem secundam tomi quarti praeparatae, id est nihil ex Indice inveniri potuit, ne hodie quidem illorum manuscriptorum quicquam habemus. Omnis igitur huius voluminis materia a nobismet ipsis composita est, accommodata ad rationem edendi, quam editores optima memoriae suo tempore descripserant.

Ad fontes Bonfinii investigandos anno MCMLXIII aggressus eram; librum huius operis conclusiones argumentaque continentem anno MCMLXXIII edidi. (*Bonfini Magyar Történetének forrásai és keletkezése. – Fonti e genesi della storia ungherese di Bonfini.* Budapest, Akadémiai Kiadó. Humanizmus és Reformáció I.) Sententiae in eo libro expositae comprehenduntur capitulo praesentis tomi, quod inscribitur *Fontes Decadum*.

Dum eodem opere occupatus eram, quaedam errata in editione mihi sub aspectum venerunt, quorum nonnulla iam ab editoribus in fine singulorum tomorum emendata sunt, alia autem nec in erratis typographicis ponenda, nec editoribus vitio vertenda sunt, sed in omnibus editionibus manuscriptisque sic legi possunt; itaque verisimile est ea ab ipso Bonfinio orta esse. Quae errata neque detegi neque corrigi potuerunt nisi auxilio ipsorum textuum eorum, quibus Bonfinius velut fontibus usus erat. Nimirum fieri posse puto, ut in tam longo opere alii loci quoque corrigendi sint.

Appendix Bonfiniana, sicut editores priorum tomorum voluerunt, continet scripta, quae in editionibus saeculorum praeteritorum Decadibus Bonfinii addita sunt: praefationes, dedicationes, carmina gratulatoria et cetera. Haec scripta et utilitate ad cognoscendum et suavitate ad delectandum diversi pretii sunt. Quae tamen edere debemus, imprimis quoniam editores hoc pro certo promiserunt. Sunt etiam quaedam digna, quae ab oblivione vindicentur, sed ea hodie iam praeritate editionis vix legi possunt. Pars eorum (scriptum Martini Brenneri, Johannis Sambuci) pretiosas rationes et explicationes continet, ex quibus cognosci potest, quid viri Hungariae Transylvaniaeque humaniorum litterarum studiosi saeculo sedecimo de historia et de munere scriptoris historici senserint. Inter omnia excellit Praefatio a Basilio Fabricio de Szikszó scripta: illas de historia sententias, quae non solum auctoris erant, sed etiam eius temporis – quod tempus reformationis dicitur – summam exponendo singularem suo genere locum obtinet. Itidem magni ponderis sunt Annotationes Johannis Heroldi, primum opus Decades Bonfinii methodo scientiae investigans, sed hominibus doctis nostrae aetatis iam paene ignotum. Cuncta haec scripta ad fortunam operis Bonfinii inquirendam necessaria sunt; ex illis numero I, II, VI, XXIV et XXV designata eiusmodi res continent, quae multum ad historiam singularum editionum cognoscendam conferre possint.

Partem alteram – quae *Auctores a Bonfinio laudati* inscribitur – componendo fontibus etiam in posterum investigandis favere studebam. Est operae pretium hunc indicem fontium ab ipso scriptore memoratorum comparare cum articulo tertio *Appendicis Bonfinianae* (id est cum *Catalogo auctorum*) et cum capitulo, quod *Fontes Decadum* inscribitur.

Ex mentionibus fontium sine auctoris nomine factis magni ad pervestigandum nostra interesse possunt illae, quae ad litteras vel sermones singulorum populorum pertineant. Etiam vocabula fontes generaliter definientia (velut alii, aliqui et cetera) in hunc indicem relata sunt pleni numeri causa et praesertim propterea, quod his cum capitulo, quod *Fontes Decadum* inscribitur, collatis constitui potest, quae vocabula Bonfinius ad laudandos fontes, quibus re vera usus est, adhibuerit. Quod adiumento esse potest pervestigantibus fontes et rationem fontes laudandi, quibus alii aetatis renascentium litterarum scriptores historici usi sunt.

Maiorem partem huius voluminis, quae *Index nominum* inscribitur, adiuvante Margarita Kulcsár composui. Qua parte continentur cuncta nomina personarum et populorum atque nomina geographica; ex iis autem expressionibus, in quibus nomen cuiusdam populi attributive positum est, solum personas aut loca significantes (id est nomina propriorum loco adhibitae) reperiri possunt, velut *Italice urbes*, *Ungaricum imperium*; ceterae autem (exempli gratia *Italicum bellum*, *Ungarica lingua*) omissae sunt. Nam hae in indicem rerum referendae essent, nisi immensa multitudo rerum prohibuisset, quominus huic volumini etiam index rerum insereretur.

Singula vocabula *Indicis nominum* eadem forma, qua Bonfinius usus erat, relata sunt; ita autem, ut ea, quorum formae diversae in opere leguntur, sub vocabulo formae maxime usitatae vel formae, quae hodie correctior existimatur, collecta reperiri possint; sub singulis variarum formarum vocabulis mentio vocabuli primarii facta est. Si diversae formae modo idem, modo aliud significant, rem secundum formam inseruimus, eorumque locorum, ubi vocabulum idem valet, mentionem fecimus. Exempli gratia: *Alemanii*, *Alamanni*, *Alemanii*, *Alemanica gens*, *Alemanica gens* nomina litteris diversa, sed eundem populum significantia sunt, itaque omnia haec sub vocabulo, quod scribitur *Alemanii*, collecta reperiuntur. Interdum vero Bonfinius de rebus eiusdem populi *Alemanii* scribens etiam aliis nominibus (Suevi, Germani, Teutones) usus est. Qui igitur omnia argumenta de *Alemanis* conferre velit, omnia haec vocabula quoque inspicienda sunt. Scriptor noster non semel dicit se diversis nominibus eandem rem signavisse. Exempli gratia nomina, quae scribuntur *Albani*, *Avares*, *Scythe*, *Ungari* et *Unni*, idem valere ei videntur. Quae nomina nonnunquam re vera eidem populo, tamen alias diversis gentibus imposita sunt. Nos autem nomina forma similia collegimus, nota tamen addita ostendimus, sub quo vocabulo nomina idem significantia, sed forma dissimilia reperiri possint. Quo facilius res, de quibus apud Bonfinium legitur, identificari possent, etiam annotationes vocabulis singulis adiecimus; nec tamen omnes res identificare potuimus, ideoque annotationes quibusdam nominibus desunt.

Vocabulis locorum addita sunt nomina maiorum regionum, ad quas ea loca pertinebant, deinde nomina, quae hodie in usu publico sunt. Haec autem omnia omisimus, si nomen geographicum omnibus notum est, vel ipsa loca in terris multarum gentium sita sunt (e. g. *Austria*, *Europa*, *Pontus Euxinus*). Nominibus gentium addidimus terras, in quibus vivebant, vel illos populos maiores, ad quos pertinebant.

Nomina personarum – ut consuetudo Bonfinii fert – in *Indice* praenominibus Latinis praemissis leguntur; his addita sunt cognomina, quae ratione scribendi hodie usitata scripsimus (e. g. *Nicolaus Szécsi*, *Nicolaus Trono*). Viri Romani antiquae aetatis sub nomine gentis reperiuntur. Eadem semper ratione faciendi causa ita fecimus etiamsi Bonfinius cognomen solum scribit.

Sub vocabulo cognominis collecta sunt praenomina ad idem cognomen pertinentia, atque ibidem enumeratae sunt formae diversae eiusdem cognominis (e. g. *Perényi*, *Perenius*, *Perenus*, *Prini*, *Priniana domus*, *Prinii*, *Prinius*). Quae omnes formae etiam ordine litterarum suo loco insertae sunt, partim vocabula primaria, partim vocabula, sub quibus notatur, ubi de persona plura reperiri possint.

Praeter cognomen adiungimus etiam, quem honorem et quo tempore vir gesserit; honorem addimus etiamsi id fieri non potest vel non necesse est, ut cognomen quoque adiciamus (e. g. cognomina regum, paparum etc.). Huius rei faciendae causa multis adiumentis usi sumus; nec tamen index noster in locum fontis reponi potest, sed eum ad lectores notitiis necessariis instruendos tantum destinavimus: non, ut argumenta nova certae fidei afferremus, anniti voluimus, sed ut lectorem in personis operis Bonfiniani identificandis virisque eiusdem nominis distinguendis adiuveremus.

Formas nominum mendosissimas plerumque correximus et ad litteras formarum correctarum inseruimus, nota tamen sub vocabulo formae mendosae data ostendimus, ubi plura de persona vel loco legi possent. Formas minus mendosas

iisdem litteris, quibus in textu leguntur, scripsimus, formasque correctiores uncis inclusas addidimus. Hoc loco lectorem rogamus, ut etiam correctiones factas in capitulo, quod inscribitur *Correctio mendorum*, respiciat, quoniam eorum nominum, quae in ea parte libri correximus, in *Indice* alia forma nisi correcta inveniri non potest.

Correctionem errorum in *re* non suscepimus, de his signo exclamationis lectorem monemus, e. g. Peredeo dux Bulgarorum (!) – recte: dux Vicentinus.

Personas apud Bonfinium nomine tantum magistratus notatas sub vocabulo praenominis inseruimus, sive Bonfinius alio loco huius nominis mentionem facit seu non. Quoniam personae, de quibus sine nomine magistratu tantum memorato auctor noster scribit, plerique magistratu ecclesiastico fungebantur, hos magistratus ecclesiae, si sedes magistratus sciri potest, etiam ad nomen geographicum inseruimus – excepto pontifice Romano, id est papa –, ibique notamus, sub quorum praenominum vocabulis plura reperiri possint (e. g. Bosnensis episcopus v. Peregrinus de Saxonia).

Non est nobis dubium, quin multa errata imperfectaque in *Indice nominum* insint, quamvis magnam operam ei dederimus. Tamen idoneus fortasse erit, qui lectorem in magno Bonfinii opere perspiciendo adiuvet.

Gratias maximas agimus doctissimo viro Elemér Mályusz, qui hunc librum recognoscens accuratis subtilibusque sententiis atque consiliis sapientibus suis nostro operi maxime faverit.

Petrus Kulcsár

APPENDIX BONFINIANA
(PRAEFATIONES, EPIGRAMMATA ALIAQUE SCRIPTA
EDITIONES DECADUM ADORNANTIA)

I. Martinus Brenner Francisco Révai, Vindobonae 1. Septembris 1543. Legitur in editionibus **b** (foll. a2r–a3v), **s** (pp. 9–11.), **fh** (pp. 9–10.), **i** (pp. 11–12.)

- 1 Generoso et magnifico domino, domino Francisco a Rewa comiti Turocensi, serenissimi Romanorum, Ungariae, Boemiae etc. regis consiliario regnique Ungariae palatino, domino suo observandissimo Martinus Brennerus Bistriciensis Transsylvanus salutem plurimam dicit.
- 2 Quum anno ab hinc tertio Lippi Brandolini ad Mathiam invictissimum Ungariae regem dialogum edidisset, vir ornatissime, multaue ibi de rebus Ungarorum praeclare gestis occurrissent, gentis nostrae exordia tacitus mecum coepi perpendere, quibus artibus tam opulentissimam regni possessionem acquisivissent retinissentque, artibus enim eisdem acquiruntur regna et retinentur, quibusque subsidente paulatim a Mathiae regis morte maiorum disciplina Turcarum id libidini cessisset. Non mediocriter dolere coepi tot fortia maiorum nostrorum
- 3 facta totque praeclaras victorias ab occidentis primum populis, Turcis deinde, quorum impetum, postquam infausto hi sydere ex Asia primum in Europam traiecerunt, nullis externis auxiliis adiuti a centum annis soli fere sustinuerunt, magno sudore et sanguine partas a nullo, quod equidem sciam, scriptore lumine
- 4 orationis illustratas fuisse. Ungarorum enim annales praeter nudam simplicemque rei veritatem nihil in se continent, vereque magis multis in tanta imperitia negligentiaque omissis quam diserte sunt conscripti. Nam literarum studia nostris
- 5 hominibus, qui ab eo tempore, quo relictis sedibus suis in Pannonias migraverunt, semper aut externis bellis distracti fuerunt, aut vicinis quiescentibus sua in se arma Scythica eos feritate subigente converterunt, nunquam patuere, quare non mirum in tanto armorum strepitu raros aut nullos apud nostros, qui tam honestam scribendi provinciam susciperent, extitisse. Illud magis mirandum vicinas nationes, apud quas in altissima pace optimarum artium disciplinae semper floruerunt doctisque hominibus honori, laudi emolumentoque fuere, tam pulchram scribendi

2 Quum **i** Quum / Mathiam **fh** Matthiam / edidisset **b** aedidisset / artibus enim ... retinentur **sfhi uncis inclusa** / Mathiae **fh** Mathiae

3 sydere **sfhi** sidere / quorum ... sustinuerunt **sfhi uncis inclusa** / quod equidem sciam **sfhi uncis inclusa**

5 migraverunt **hi** migrarunt / qui ab eo ... converterunt **sf uncis inclusa** / qui ab eo ... patuere **hi uncis inclusa**

6 quas **bs** quos / doctisque **i** dictisque / eruditionis **sfhi addunt et**

materiam, in qua eruditionis, eloquentiae ostentandae latissimus campus patebat, quaque vix alia ad immortalem gloriam nominis acquirendam erat praeclior, neglexisse. In his quum essem cogitationibus, non sine mente, reor, ac numine divum Franciscus Abstemius archidiaconus canonicusque Albae Regiae, vir praeter solidam, quam in se habet, eruditionem multis praeclaris virtutibus instructus atque ornatus mihiq̄ue amicitiae vetustate coniunctissimus, collegii Albensis, in quo agit, cuique ego, quae habeo, omnia libenter me debere fateor, ad serenissimum Ferdinandum regem Viennam venit. Qui quum pro amicitiae iure me accessisset salutassetque, de praesenti rerum Ungaricarum statu a me interrogatus complura Albensium, qui post occupatam a Turcis Budam, etiam si in tanta vicinia crudelissimum hostem quotidie fere urbis portis insultantem viderent, in fide regia permanserant, fortia facta enarrare coepit, eos levibus in praeliis ubique fere superiores fuisse, crescenteq̄ue inde audacia civitate egressos ex Budae suburbanis Turcisque, qui secundum Danubium Budam ascendunt, praedas egisse, ex quibus multos caesos, complures vinctos Albam pertractos fuisse, Ungaros sitis, inediae, aestus, frigoris, laboris patientissimos, vitae prodigos in mortem et vulnera ruere, vix aliam gentem esse, quae Turcarum furori aequae posset resistere, si eorum virtus multitudine hostium non obrueretur. Haec quum ille graviter, ut solet, compositiq̄ue dissereret, multumq̄ue amici hominis oratione afficerer temporum inscitiam hominumque ingratitude ipse detestari, quod vetera recentiaque Ungarorum acta, quae ad excitandos in tanto periculo principes Christianos haud parum valerent, a nemine conscriberentur, nec enim sermonibus hominum omnia pro rei magnitudine ac dignitate ad gentes procul dissitas perferri, omitti multa, multaque interdum vana admisceri. Res gestae, inquit ille, nostrorum temporum in tanto doctorum, quibus seculum istud abundat, proventu conscribuntur fortassis. Caeterum quaecunq̄ue ab Ungaris ab eo tempore, quo Tanai paludeque Moeotide emensa primum in Europam pervenere, gesta sunt, ea omnia ad Mathiae regis usque tempora Antonius Bonfinius triginta libris elegantissime complexus est, cuius libri, inquit, copiam Paulus Isthvanfius vir et literis et genere ornatissimus superioribus diebus, dum Quinquecclesiis agerem, mihi fecit. Eo dicto mirifice exhilaratus hominem rogare, daret operam, omnemque moveret lapidem, ut thesauro tanto potiremur, quod illi quidem haud difficile factu fuit, nam Isthvanfius ea, qua est, eruditione, candore, humanitate, adeo facile se nobis hic praebuit, ut misso celeriter libro ultro etiam ad edendum me hortaretur. Quanquam autem liber imperitia librariorum, qui ex Budensi exemplari *ἀυτογράφω* hunc descripserant, multis in locis depravatus esset, quibus castigandis restituendisque non parum operae mihi insumptum est, neque tamen in tanta temporis angustia, qua bibliopolis nostris ad mercatum Francfordiensem profecturis edendi libri provincia demandanda erat, pro dignitate quaeque a me

7 vir coniunctissimus **sfhi uncis inclusa** / collegii Albensis sic!

8 Ungaricarum s Ungaricacarum / qui post ... permanserant **sfhi uncis inclusa** / patientissimos s patentissimos / furori i forori

10 inquit ille **sfhi uncis inclusa**

11 Moeotide **sfhi** Maeotide / Mathiae **fhi** Matthiae

12 edendum **b** aedendum

13 edendi **b** aedendi / editionem **b** aeditionem / nolui i nobis / ut labilis ... status **sfhi uncis inclusa** / editionem **b** aeditionem

restitui potuerunt, editionem tamen longius differre nolui, ne, ut labilis fluxusque
 est rerum humanarum status, intercideret aliquid, quod editionem interturbaret
 remorareturque, historiaeque studiosos tantarum rerum cognitione fructuque
 14 fraudarem. Hoc enim affirmare ausim Boemos, Germanos, Italos caeterosque,
 quibus nostra primum tempestate Turcica arma cognita esse coepere, multis vix
 periculis Turcarum in armis morem, bellandi ritum, insidias, fraudes, astum, ce-
 leritatem ita percipere posse, quemadmodum hic oculis subiecta propositaque
 15 cernuntur, possuntque imperatores non prorsus ἀναγράφητοι inde instrui,
 quomodo cum Turca deinceps bellandum sit. Nimirum si posteris nostris recte
 consultum liberisque esse volumus, nullis ut cladibus deterriti fractique Mithrida-
 tis Pontici exemplo veterumque Romanorum more fortiores in hostem insurgam-
 us, eorum vim audaciamque tolerantia ac assiduitate frangamus, ad haec milite
 quam hactenus instructiore, laboris patiente magisque in armis exercitato utamur,
 quibus si disciplina, sine qua haud quicquam prospere unquam gestum est, severa
 16 accedat, tum sane de victoria bene sperandum foret. Neque enim deus in finem
 crudelissimis nos hostibus irridendos et conculcandos obiiciet, si eo primum pla-
 cato fortia consilia fortesque animos induerimus, nullumque hostibus fracti et
 17 debilitati animi signum dederimus. Nam qua alia re Ungari Mahumetum expu-
 gnata Constantinopoli eiusque imperatore occiso, Graecia universa domita, ad
 haec Thracibus, Thessalis, Illyriis, Bessis, quos nunc Bosnenses vocant, debellatis
 longo rerum successu elatum et exultantem, cum innumeris Asiae Europaeque
 populis in se venientem tot exercitibus eorum ab Amurathe prius occidione caesis
 18 sustinuerunt, nisi invicta animi fortitudine audaciaque incredibili? Quam parva
 Huniades manu post Merulae statim Varnensemque atrocissimas clades multa
 19 Turcarum milia cecidit? An non Mahumetem eundem, qui destructo Graecorum
 imperio, Hydrunto in Italia expugnato, ad haec in Asia Trapezuntio imperatore e
 medio sublato orbis terror dici volebat, Belgradum cuniculis, bombardis omnique
 telorum genere quatientem facta derepente cum paucis eruptione turpiter ab op-
 pido reiecit, castrisque exutum amissis impedimentis in fugam turpissimam con-
 20 icit? Cuius filius Mathias rex patre suo haud deterior Iaiczam Bosnae regiam
 Sabaczque munitissima castra duo exiguo sane exercitu virtute magis quam nu-
 21 mero militum suorum fretus eidem Mahumeto vi ademit. Quem nisi domesticae
 seditiones vicinorumque principum intempestiva bella detinuissent, ipseque La-
 dislaus, qui illi in imperio successit, pulchre institutam a Mathia militarem disci-
 plinam servasset, eiusque tot praeclaras victorias persequeutus fuisset, nae nos ca-
 lamitatum omnium, quae postea sequutae sunt quibusque nunc involvimur, ex-
 22 pertes tranquillam et felicem in praesentia vitam duceremus. Sed rex ocio deditus
 leges praescribere, responsa dare maluit quam suos in armis, ad quae tractanda
 appositi maxime esse videntur, exercere, quae remissio tantum mali attulit,

14 quomodo **b** quo

16 animi **h** ami

17 Mahumetum **sfn**i Mahumetem / Bosnenses **b** Bosnenses / cum **b** quum

18 milia **i** millia / cecidit **bs** caecidit

20 Mathias **fni** Matthias / Mahumeto **sfn**i Mahumet

21 domesticae **i** demesticae / vicinorumque **i** vicinorumque / Mathia **fni** Matthia / calamitatum **sfn**
calamitatem

22 ocio **i** otio

quantum a viginti annis vidimus perpessique sumus. Sed quando, ut ille ait, praeterita reprehendi magis quam corrigi possunt, quum eo iam deventum sit, ut pestem in horas nobis imminet non nisi fortiter pugnando effugere liceat, agendum certe, si salvi esse volumus, in tanto periculo magis quam consultandum est, omissaque anxia nimis et sollicita conservandae vitae cura, mors imminenti servituti turpitudinique anteposenda, audacia enim magis quam lentis consiliis, quibus tamen in bello ita funesto fortibus sanisque semper locus erit, hostis iste deterrendus est. Alioquin si qua coepimus, via pergemus, horret animus dicere, quae nos pericula calamitatesque manent. Verum haec non sunt huius temporis locique, multa enim a doctis excellentibusque viris ducibusque fortissimis in hanc rem saepe dicta scriptaque sunt scribunturque quotidie complura. Ad Bonfinium redeo, quem aut morte praeventum aut re quapiam gravi impeditum arbitror tanto operi non potuisse extremam limam inducere, quamvis enim absolutum opus, quod ad historiam attinet, undequaue sit, pleraque tamen concisa abruptaque sunt, nisi librariis indoctis, qui librum descripserunt, id velimus attribuere, quod etiam ipse, ut credam, facile adducor, multorum enim manus in exemplari agnoscebatur, unde furtivis et succisivis operis alicuius episcopi iussu clam descriptum fuisse puto. Nam quantum author ipse dicendo scribendove valuerit, libri ab eo conscripti eque Graeco traducti satis declarant, ex quibus Hermogenis Rhetorica clarissimo Mathiae regi nominatim inscripta et dedicata nuper vidimus. Ipse autem praeter has decades, quas rogante iubenteque Mathia rege se aggressum fuisse dicit, Philostratum et Herodianum e Graeco transtulisse se Beatricisque Symposium scripsisse hoc in volumine testatur. Talem igitur tamque praeclarum auctorem quum emittere decrevissem, magnificae dominationi vestrae multas ob causas nuncupare volui, quarum praecipuae sunt, quod me hominem alias sibi ignotum ad se saepe vocarit, honorifice exceperit, opemque suam, si qua re egerem, liberaliter obtulit, maioremque, quam ipse a tanto viro vel sperare vel optare ausus fuisset, promisit, quae omnia animum generosum, virtutis amatorem et admiratorem eximium in primis ostendunt. Hac enim magnificentissima humanitate, candore, liberalitate doctissimi quique Germaniae viri optimarum artium veraeque pietatis ceu lumina quaedam allecti missis crebro literis favorem benevolentiamque tuam insignissimam demereri student, eiusque prudentiam eximiam vitamque in tanto honoris, ad quem praeclaris virtutibus suis aditum sibi patefecit, fastigio ab omni fastu alienam passim praedicare. Quas tu sane tanquam *κειμήλια* preciosissima diligenter servare, hisque longe magis quam aliisque gemmis, quae tamen in tanta dignitatis eminentia tibi fortunatissimo deesse non possunt, oblectari probatisque quandoque viris soles ostendere. Non enim solum, ut ille ait, principibus placuisse viris non ultima laus est, sed et doctis, praeclaris virtutibus instructis et ornatis viris placuisse, ab iisque laudari ea vero egregia laus

23 reprehendi **b** repraehendi / sollicita **fhi** sollicita / quibus ... erit **sfhi** *uncis inclusa*

26 quamvis **f** quamnis

27 Mathiae **fhi** Matthiae

28 Mathia **fhi** Matthia

29 exceperit **b** excepit / si ... egerem **sfhi** *uncis inclusa*

31 quae ... possunt **sfhi** *uncis inclusa*

- 33 est. Habes autem, vir praeclarissime et prudentissime, principis serenissimi Fer-
 dinandi regis virtutum omnium censoris eximii gravissimique amplissimum etiam
 de te testimonium, qui in tanto procerum nobiliumque Ungariae numero te solum
 maxime dignum esse putavit, cui summa absolutaque et, qua maior post regem
 34 apud Ungaros non est, palatinatus dignitas potestasque crederetur committere-
 turque. Qua re ita multorum animi exhilarati erectique sunt, ut in calamitosissimo
 praesenti regni statu hac parte felices se putent gaudeantque cordatum, sapien-
 tem iuriumque regni peritissimum moderatorem se nactos esse, qui e nobilitate
 complures opibus potentiaque sua magna confisos, sublatis legibus licentia abu-
 35 tentes in ordinem sit redacturus. Neque vero spe sua hi frustrabuntur, ubi deus
 optimus maximus pro sua misericordia hostibus a cervicibus nostris depulsis
 modum tot calamitatibus imponere dignabitur. Te itaque decus nostrum splendi-
 36 dissimum bene et feliciter valere cupio, cui me ut patrono meo singulari diligenter
 commendo.
- 37 Viennae, Calendis Septembribus, anno domini millesimo quingentesimo qua-
 dragesimo tertio.

II. Robertus Winter viris doctis, Basileae 1543. Legitur in editione **b** (fol. a5v)

- 1 Robertus Winterus viris doctis salutem.
- 2 Erratorum veniam, si qua forte in hoc opere deprehendentur, ut scribae olim ita
 nunc etiam operae a nobis merito petent, ut eis aequiores simus, qui maximam di-
 ligentiam semper requirimus, quibus ita concedendum affirmo, ut si a levibus his
 erratis in totum abstinere nequeant, a gravioribus saltem sibi posthac temperent,
 quae, scio, in nostra aeditione nulla hic prorsus invenies, et si invenies quaedam,
 quod minime tamen reor, proxima me ita emendaturum aeditione tibi persuade-
 3 ris, ut eam rem unice mihi curae fuisse nihil obscure videas. Speramus autem
 propediem tabulam chorographicam Ungariae nos in lucem daturos et alia huius
 auctoris opera, Beatricis Symposium, Philostratum item Herodianum e Graeco
 traductos una cum Hermogenis Rhetorica divo Mathiae regi inscripta, quae par-
 tim iam, si tempus suppetisset, excudenda erant, quibusque in posterum te ne-
 4 quaquam defraudabimus. De auctoris patria vitaque hic fortasse plura addere
 5 debuimus, quae apud paucos aut fere nullos extant. Constat quidem Cicci Ascu-
 lani mathematici insignissimi coevum et concivem fuisse, nemo tamen eiusdem
 patriae ambos affirmavit, quum saepe eveniat, ut diversae patriae homines in
 6 eadem civitate degant. Italicum vero ingenium in hoc agnoscas, oportet, ut quod
 7 cum caeteris eius nationis clarissimum in Bonfinio enituerit. Vale.

33 prudentissime **b** prudentissimi / principis **l** principi / virtutum ... gravissimique **sfhi** *uncis in-*
clusa

34 praesenti **sfhi** praesentis

37 Viennae ... tertio **l om.**

III. Catalogus auctorum, 1543.
Legitur in editionibus **b** (fol. a6r),
fh (p. 15), **p BCD** (fol.) (2v)

- 1 Catalogus auctorum, quorum testimonio Bonfinius in hisce tribus decadibus usus est.
- 2 Ablavius scriptor Gothicus, Aeneas Sylvius, Ammianus Marcellinus, Annales Boemorum, Annales Polonorum, Annales Ungarorum, Apollodorus, Apollonides, Appianus, Aristobulus, Biblia, Blondus, Callimachus, Cornelius Nepos, Cornelius Tacitus, Crescentinus metropolita, Criton, Dexippus, Diodorus, Diogenes Laertius, Dion, Dion Pruseus, qui Getica scripsit, Dionysius, divus Hieronymus, Ephorus, Eratosthenes, Euripides, Eutropius, Franciscus Petrarcha, Guilielmus, Hecataeus, Hegesippus, Herodianus, Herodotus, Homerus, Hypsicrates, Iordanis, Iulius Capitolinus, Leoprandus, L. Florus, Menander, Metrodorus Scepsius, Onesicritus, Otho, Palmerius, Paulus Aquileiensis, Paulus Diaconus, Paulus Orosius, Philemon, Philostratus, Pitheas, Plinius, Plutarchus, Polyclethus, Pomponius Mela, Possidonius, Procopius, Ptolemaeus, Richardus, Rogerius canonicus Varadiensis, Sichardus, Strabo, Suidas, Symmachus, Timaeus, Trebellius
- 3 Pollio, Trogus Pompeius. Finis.

IV. Iohannes Herold Francisco Révai, Basileae

1. Septembris 1543.

Legitur in editione **b** (foll. gg2r–gg3v)

- 1 Francisco a Rewa praefecto praetorio Ungariae, heroi magnanimo Ioannes Herold Acropolita bene agere.
- 2 Opellam meam, Francisce heros magnanime, tua autoritate tutari volui et dedicare tibi, quicquid historiae amor mihi obrusit, id scilicet laboris, quod in Bonfinii decadibus obscuriora illustrando insumpsi ratus hoc id fieri commode veterum exemplo, qui censors ac vindices suarum lucubrationum maioris autoritatis viros seligebant. Nec id meum institutum minori quam ipsorum consilium laude vehendum arbitror, quando quidem in tanta penuria eorum, qui bonis literis recte favent, enixe curandum sit, ut eos, qui illas amant (negociis autem et morum huius aevi iniuria, ni disciplinae bonae constantiam adderent, facile abstrahi et divelli ab illis possent), quotidie officii admoneas, id est illis indies e penu bonarum artium nova quaedam, quibus gustum exacuent, offerre, et quo foma amoris
- 4 accrescat, suggerere cessandum nullo modo persuasum habeas. Fuit in causa deinde Brenneri doctissimi mihique semper observandi viri inscriptio, qua sub celebri tui nominis tutela historiam hanc, si aliqua extat huic seculo mage exoptandam, aedere voluit. Ipsus enim et Brennero atque mihipte infiniti laboris causa fui, qui statim quum subodoratus essem sui iuris hoc volumen factum esse, urgere

III.1 hisce tribus **fhp** suis

2 Ablavius **bfhp** Ablanius / Dexippus **bfhp** Damasippus / Scepsius **p** Scepusius

3 Finis **fhp om.**

coepi hominem et ita molestiam exhibere, ut ferme publico nomine diem illi dissem, is autem, quum rei publicae omnium est amantissimus, semper illud Euripidis in ore habens: τὰ κοινὰ χαίρων, ὃ δίκαια δοῦνός ac non pauca in exemplari unico (ab archetypo suffuratis operibus a scriba admodum ἀμούσῳ quaedam magis Germanice quam latine descripto) restituisset, multo plura, quae Oedipo alias opus habuissent, enucleasset, minutiora nobis delineanda commisit, nimirum ut talionem redderet improbae meae flagitationi, qui laboris tam ingentis iniquus ponderator, famae autem et nominis tanti viri (si honestus ille in rem publicam literariam amor meus ad impudentem expostulationem me non redigisset) insidiator videri poteram, dum aeditionem nullam nisi festinam comminarer, ac utcunque etiam inemendata in lucem proferenda contenderem. At talia gignit bellum, de quo si amarum aliquid in se haberent literae bonae, plura conquererem, at quum plus molestiae quam operis afferat labor, accersitus, annisum, ut tanta ambitione extorto oneri satisfacerem, et occupato ingenio in perquirendis, quae ad rem videbantur facere, dolori omnino receptum nullum ostenderem. Quicquid autem id est, tuae censurae subiicio, cuius suffragio si allevor, maiora aggrediunda audaciam, confusus vero styli omnino abiiciendi omen captabo.

8 Nemo enim nisi mente omnino insanus maximum peccatum sciens peccabit, quum ego inexpiabile facinus iudicare ausim hac in historia vel corrumpere vel
9 non recte emendare aliquid. Etenim hoc temporis quae utilitas huius historiae sit, quum decreveram aliorum praeconiis dimittendum tamen eo delatus, unde vix pedem referre absque maxima iniuria possum, paucis meam sententiam explicabo. Historia, quae speculum humanae vitae diffiniri solet, si rite conscripta in se,
10 quicquid de deo rationabiliter disseri, quicquid ad vitam conservandam tranquillam, quicquid alma terra in usum aut perniciem humani corporis producit, lenocinio quodam novitatis comprehendit ac edocet, inserviunt illae ceu famulae artes reliquae liberales omnes, sermonem suppeditat grammatica syncerum, dialectica ratiocinationem argutam, ornatum rhetorica gravem, distinctionem solidam geometria, arithmetica temporum certam positionem, astronomia ordinem rerum necessarium, musica dulcedinem concinnam ita, ut in una hac sanctitatem, prudentiam humanitatemque omnem revereri atque amplecti, si integre, si vero irreligiose in ea versaris, haec omnia laedere videare. Quum vero summi boni summa deus ipse ordinem in omnibus conservat, habent et tempora propria ac peculiaria
11 quaedam, quae ipsis absque confusione, qua in tota rerum natura nil horribilius,
12 eripi, quaedam, quae iis nisi taediosa perturbatione obtrudi nequeunt. Igitur Graecorum, Romanorum aliarumve gentium historias rei publicae hac aetate inculcare velle nihil aliud esset, quam eam ipsam negligere, insidiis ferocissimi hostis undique petitam, quum non absque providentia, summa illa sapientia deus optimus maximus Pannonum gesta (ex quibus fortitudo ceu forma, civilis discordia ut labes in venusta facie ad speculum exornari corrigive possunt) tenebris
13 tandem erui permisit. De sacris, de vita, de coniugibus, de liberis, de fortunis, de patria denique nobis cum Turca certamen est, quem hostem timeat, quem optet,
14 hic, hic inquam, videre est. Hostem abominatur Turca fortem, solertem, pertinacem, at fortitudinem Ungarorum sentiit effera illa gens, quam primum manum ad Nicopolim cum Pannone conseruit, necnon quando tertio victrix auspiciis Nicolai
15 Macedonis pauco ac agresti milite devicta est. Ne interim enumerem, quanta ignominia vel Taurunum obsedit, vel ad Varnam quanta iactura victoriam obti-

nuit, solertia autem ne Hannibal quidem Hunniadi comparandus, pertinacia vero quanta in annum iam centesimum ac quinquagesimum propriis viribus domitorem totius Asiae, Europae depopulatorem Turcam distinet ac rem publicam Christianam defendit. At inquiet aemulus idem Ungaris accidisse iam, quod elatioribus et animi nobilitate tumidioribus usu venire solet, qui diu fortitudine sua conterere, astu circumvenire, pertinacia summa defendere omnia consueti potentiori tandem facile cedere videntur, cui quidem, si de privatis hic esset sermo, nihil difficilius cederem, at in re publica ad conservandam omnium salutem quantum haec tria possint, antequam inficiantur discordia, Romana monarchia exemplo est. Sed hac contagione obruta ac semper civilibus bellis obnoxia fuit olim clara iam misera Pannonia, quo morbo si caruisset unquam, Asiam imperio exuisset celerius, quam hostem Europae admisisset. Qua una re, quem hostem in votis habeat Turca, satis claret. Verumenimvero res publica pestem, quam civilia bella perniciosiorem habuit nunquam, inter se cives nulli concitatius ac maiori odio sese contrivere unquam quam in Hungaria. Stephanum regem primum Cupae exercuit ambitio, Petrum exagitat Aba, Andream frater regno expellit, Salomonem Geysa fugat, Ladislaum Salomon iterum impugnat, Colomanno Almus exitio proprio obcalcitrat, a notho Colomanni caeca Belae calamitas augetur, quin et a patruis Stephanus tertius petitur bello, et ne diutius haeream, factiones Andreae Veneti, Caroloroberti, Venceslai, Othonis, Mariae, Sigismundi, Vladislai et Mathiae quantum sanguinis insumpsere, quot victoriarum successus, quibus Pannonicum imperium dilatari potuisset, conturbarunt, horreo mentionem facere tantum Ioannis. Tales hostes procul dubio cupit Turca, cui ego tales optarem amicos ac Germanos alieno periculo fieri cautiore. Antemurale rei publicae Christianae (ut vocat Cuspinianus) Ungariam dirupit ferox tyrannus, Germania Christiani orbis arx oppugnatur iam at, quod canibus veteres tradiderunt *μυθόγραφοι*, eheu hominibus hoc aevo, o tempora, o mores, haud concessum est, nam aiunt concertantes canes irruente lupo remissis iniuriis ac coadunatis viribus feram insequi, quum tu, qui animarum sortem in manibus te habere iactas, peruncta cohors, ne genio te defrauderis paululum, aut humanae gloriolae parte tantilla spoliare, ut fertur, Germaniae te paras hostem plus quam Turca Christiani sanguinis avidiorem, quanquam tuis persuasionibus addictus Apulus classe Thracica devastatur ac misere dilaceratur, quum tu, quae evangelii luce tenebris redempta Germania nomen Christi ab foedissimo hoste proculcare, fraternum proximi sanguinem indies haurire conspicias animo tam tranquillo, ut ne adversae parti praeda fies, charitatis, qua sine Christianus nemo, videreris oblita. Christi ergo arma indue, o patria, impii consilia irrita faciet, qui praevalet omnibus. At quo me deduxit libertas illa doloris iustissimi? Vides iam, Francisce heros, quantum fortitudinis ac concordiae sit allicimentum historia haec? Ecce, quibus exemplis, quomodo nobis iam agendum et quid in hac publica calamitate fugiendum nos instruit, ut interim obticeam, quod Ungarici belli arteis Turcis formidolosissimae itinera, arma quibus utendum, et alia quae imperatori forti ediscenda sunt, ceu in tabula picta oculis hic observantur. Sit licet invicta Germania (nam quae caesarum nulli cessit unquam, cedat Turcae?), tamen bellum, quod iam instat, pacem enim cum Turca speret, Amyclas praeter vires, praeter animos expostulat et astum, quibus callidissimum hostem non tam fortiter repellere quam scite artes ipsius eludere possimus. Talia ab experto et rerum usu exercitato milite ab Ungaro maxime, quo cum Turcis per diu res fuit, addiscenda veniunt. Si vero privatae utilitatis ratio ulla

hic historiam hanc tibi ita rite a Brennero dedicatam ut opportune in lucem datam invenies. Dum enim patria te unum habet, in quo spes collocare possit suas, tu vero regis invictissimi Ferdinandi animum (quem immerentem fortunae iniquitas rei publicae salutem anhelantem impedit) in Ungarorum emolumentum promptissimum novisti, officium tuum Garae ac Corvini exemplo ita curabis, ut humanitate tua pellecti adversae factionis principes in regiam fidem sese tradent, iussis parebunt, et si quam cladem ex discordia rei publicae Ungaricae inussere, unitis viribus vel laeta victoria vel pulchra morte perfidiae notas abolere operam dabunt. Quam mentem deus optimus maximus Ungaris, Germanis vero oculorum sensum retribuat. Te bonis literis patriae saluti, bonis denique omnibus incolumem diu servare velit, Francisce heros fortissime.

Ex inclyta Rauracorum Basilea Calendis Septembribus anno a nato Christo sesquimillesimo quadragesimo tertio.

V. Iohannes Herold: Annotationes in historiam Bonfinii, Basileae 1543. Legitur in editione **b** (foll. gg4r–ll5v)

(Numeri ab Heroldo expositi paginas versusque editionis anni 1543 significant, nos vero numeros sententiarum editionis praesentis uncis quadratis inclusimus)

In Antonii Bonfinii rerum Ungaricarum decadem primam annotationes per Ioannem Herold Acropolitam.

Pagina 2. versu 9 [1.1.21.]: „e Noruegiorum nanque iugis Boristhenes oritur“, legendum arbitror „e Neurorum iugis“, quippe ut nihil dicam de Herodoto, qui in libro quarto Neuros ad occidentalem partem Boristhenis fontem inhabitare dicit, Plinium libro quarto capite secundo ferme in fine mentionem horum facere apertum est, inquit enim: A Taphris per continentem introrsus tenent Achetiae, apud quos Hypanis oritur, Neuri (qui Ptolemaeo Nauari), apud quos Boristhenes; idem etiam Solinus capite vigesimo affirmat, ac eadem de Neuris, quae hic Bonfinius noster infra versu 17. [1.1.28.], tradidit: apud Neuros (inquit) nascitur Boristhenes etc. Temporis, in quo populi isti in lupos convertantur, fabulam annectit, quod quoque apud Melam libro primo capite secundo videre licet. Neruos vel Neruios vero eosdem dici (opinor) Sabellicus solus author est. Moderna autem huius fluminis appellatio ad ortus sui rationem alludit maxime, Neper enim solet vocari, facile quidem vulgus v literam in b aut p mutat. Nec moror Herodotum, qui tractum Neurorum vastum esse dicit, aut Solinum, qui tristissimas eos inhabitare solitudines ait, unde quis iuga Neurorum a me exquiret, quum nostro quidem seculo inveniuntur, qui experientia, quae de montibus Riphacis aut Hyperboreis tradiderunt veteres, fabulosa esse convincant, inter quos Mathias a Michovo, qui in descriptione Sarmatiae Europae ita inquit: Item ex dominio Litvanorum post castrum Vesuya, quod dux Moschoviae modernus Vassilo occupavit, ortus est Dinepr seu Boristhenes ex terra plana, lutosa, ex stagnis in densis sylvis, et fluit sub Smolensco et sub Kiou, tandem emensis quasi trecentis miliaribus Germanicis in mare Ponti incidit; et paulo infra: Et scias, quod quemadmodum in superioribus praemisi, tria magna flumina prope se invicem oriuntur, scilicet Dinepr, Dzuina et Volha, oriuntur, inquam, in locis planis, nemorosis, palustribus, non ex

montibus Hyperboreis, non Riphaeis, nec aliquibus montibus, qui in natura minime sunt, duntaxat fragmenta olim Graecorum, tanquam in rei veritate existerent, gloriose et ampullose praedicati sunt, et quod praefata flumina ex ipsis erumperent ac orirentur, per sequaces historicos, cosmographos et poetas inexperte descripti decantatique sunt, quum nusquam compareant, plana siquidem est per totum terra, unde illa ortum ducunt. Sed potes etiam Paulum Iovium virum doctissimum in Libello de legatione Moschovitarum consulere.

10
11 Pagina 31. versu 26 [1.2.72.]: „philosophos praestantiores Tarabostescos
12 deinde Pileatos appellabant“. Hic iterum scribae ignorantia reperitur ut in aliis locis plerisque, equidem hic locus apud Iornandem sic habetur: Dio dixit primum Zarabos Tereos deinde vocitatos Pilleatos hos, qui inter eos generosi extabant, ex quibus eis et reges et sacerdotes ordinabantur. Sed quum antea mentio Zamolxenis fit, operae precium duxi adscribere, quae apud Strabonem libro Geographiae septimo de eo legantur. Huius autem sunt verba: proditum est enim memoriae ex Getarum gente quempiam nomine Zamolxin servisse Pythagorae et coelestium rerum aliquas ab eo didicisse, quumque ad Aegyptios usque peregrinatus errasset, quaedam etiam illorum accepisse, reversum in patriam et charum et magnae existimationis principum ac vulgi iudicio habitum, nam signorum eventus praesagire solitus erat. Persuasus deinde rex in regni societatem ipsum assumpsit quasi deorum interpretem idoneum, quare etiam primo dei, qui in maxima veneratione apud ipsos habitus est, sacerdos ab ipso constituitur, mox etiam divini numinis appellationem sortitum esse praedicant. Dein speluncam ingressus subterraneam omnibus aliis inaccessibilem eo in loco degit diu, cum externis excepto rege eiusque ministris colloquia rara habuit, qua re regi hominum studia maxime conciliavit, ac eos quam prius illi obedientiores reddidit, omnes enim edicta ipsius quasi e deorum consilia prolata putabant, ab hinc ad aetatem nostram nos inolevit hic, ut apud Getas eiusmodi instituto praeditus aliquis inveniatur, qui regi consiliarius adsit, et inter ipsos dei nomen assequatur. Haec Strabo, de Zamolxene etiam consule Herodotum libro quarto, Alexandrum ab Alexandro libro Genialium dierum sexto, Ioannem Boemum libro tertio et alios.

13
14
15
16
17
18 Pagina 44. versu 10 [1.2.269.]: „Vandali vero et Alani, qui sedes in Pannoniis a
19 Romanis imperatoribus“. Asteriscus in exemplari positus ac lacuna relicta auctoritate Iornandis, Blondi, Sabellici, Naucleri, Phrysingensis et aliorum facile impleri potest. Utrumcunque sequutus sit Bonfinius, incredibile est sententiam non excepisse integram, atqui in patinis ac crumena animum habebat scriba, ne negligentiae suae argumentum deesset, reliquit nobis hunc locum mancum, nam haud dubito suffuratis operibus exscriptum esse exemplar nostrum, unde conferendi exemplaris et corrigendi non erat copia. Est autem hoc modo restituendus: Nam Vandali et Alani, quos supra diximus permissu principum Romanorum utraque Pannonia resedere, nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transiere, sed mox a Galliis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes Hispania se reclusere adhuc memores ex relatione maiorum suorum, quid dudum Geberich rex Gothorum genti suae praestitisset incommodi, vel quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset, tali ergo casu Galliae Athaulpho patuere venienti. Confirmato ergo Gothis regno in Galliis Hispanorum casu coepit dolere, mox de etc.

19 Phrysingensis b Phrysingensis

24 Pagina 48. versu 29 [1.3.52.]: „pastor quidam“ etc. De hoc gladio praeter
 Priscum, quum omnes eundem sequuti, faciunt mentionem historiographi, quod
 25 notatu dignum, haud scitu iniucundum. Anno domini millesimo (inquit) ac sep-
 tuagesimo primo instantibus Calendis Augusti rex Mogontiam properabat, di-
 gressus postera die Utenhusen venit, pransus accelerandi studio equos comites
 omnes repetunt, inter quos Leopoldus de Morspurg regi a consiliis et familiaris-
 26 simus, quum equo lapsus, proprio gladio vagina illi elapso transfossus illico expi-
 ravit. Notum autem est hunc ipsum gladium fuisse, quo famosissimus quondam
 Hunnorum rex Atila in necem Christianorum atque in excidium Galliarum hosti-
 27 liter debacchatus fuerat. Hunc siquidem regina Ungarorum regis Salomonis mater
 duci Baioariorum Othoni dederat, quum eo suggerente atque annitente rex fili-
 um eius in paternum regnum restituisset, quumque dux Otho filio Dedi mar-
 chionis Dedi iuniori pro amicitiae pignore ad tempus praestitisset, eo perempto
 28 regi et per regem Leopoldo huic casu obvenerat. Legitur autem de hoc gladio in
 gestis Getarum, qui et Gothi dicuntur, quod Martis quondam fuerit, quem bel-
 landi praesidem et militarium armorum primum repertorem gentiles nomina-
 bantur, eumque post multa tempora pastor quidam in terra leviter absconsum
 deprehenderit ex sanguine bovis, cuius pedem, dum in gramine pasceretur, vul-
 29 neraverat, isque eum Atilae regi detulerit. Divinatum deinde illi dicunt fuisse per
 aruspices gladium illum ad interitum orbis terrarum et in perniciem multarum
 gentium fatalem esse, quod verum fuisse multarum nobilissimarum in Galliis civi-
 tatum testantur excidia in tantum, ut gladius ipse vindex irae dei sive flagellum
 30 dei a barbaris quoque dicitur. Haec ille, quae etiam si supervacanea videri pos-
 sunt, historiarum cognitione avidis addendum duxi.

31 Pagina 57. versu 46 [1.4.16.]: „Argentuarium, quam nunc Argentinam di-
 cunt“, *Ἀργεντόρατον* scripsit Ptolemaeus, cui Eutropius in vita Constantini, dum
 32 de Iuliano Caesare loquitur, astipulatur, inquit enim: Factaque congressione cum
 modicis copiis Romanorum apud Argentoratum Galliae urbem ingentis hostium
 33 copias extinxit. Idem est videre apud Marcellinum libro quintodecimo, decimo-
 sexto ac decimoseptimo ac in omnibus, qui eum sequuti, Cassiodorus scilicet, qui
 id ferme temporis floruit, divus Hieronymus in additione Eusebii et epistola ad
 Geruntiam trigesima secunda, Cuspinianus et Beatus Rhenanus V. C., cui ut in
 reliquis, quae ad historiam Germanam pertinent, multum sed perplurimum debent
 34 Germani omnes, viro scilicet a nunquam satis celebrato Desiderio Erasmo
 Roterodamo multum laudato. Sed miror Irenicum, qui in libro Exegeseos unde-
 cimo Marcellinum defendit, ac quinto libro apud Argentariam id factum esse
 35 Hieronymi supplementum citat, quum constanter habeat Argentoratum. Sed
 utcunque sit, Argentoratum non eandem esse urbem quam Argentuarium Anto-
 nini itinerarium nominat, Ptolemaeus, qui Antonini temporibus claruit, in de-
 36 scriptione Galliae Belgicae clare ostendit, ibi enim inter caetera scribit: Ad meri-
 diem, quod ab Obrinco fluvio tenditur, Germaniae nomen habet superioris, in
 quo sumpto ab Obrinco initio urbes sunt Nemetorum deinde Neomagus, Rufi-
 niana posthac, quam Vangionum sequuntur Borbetomagus, Argentoratum, Le-
 gio octava Augusta et Tribocorum Breucomagus, Elcebus, inde sunt Rauricorum
 Augusta Rauricorum, Argentuaria; Vangionum ergo Argentoratum, Raurico-

28 detulerit **b** detulerat

37 rum Argentuariam urbem dicit Ptolemaeus, ex quo facile apparet non eandem esse unam quae altera. Sed idem error irrepsit Eutropii aeditionem, quum de Gratiano libro Rerum Romanarum duodecimo loquitur, nam ibi Argenteratum ponit, quum Orosius libro octavo, Cassiodorus, divus Hieronymus in Supplemento Eusebii, Otho Phrysingensis quarto libro capite quintodecimo, Sabellicus Enneade septima libro nono Argentariam habeant, sed ne suus error deesset Nauclero, Argentiam, Cuspinianus (ut puto, operum incuria) Argenteriam tradit,

38 solus Ursprungensis, nescio, an ex *ἀπτορογράφω* an ex Hedionis diligentia ac restitutione Argentuariam habet et recte. Argentuaria equidem, ut Rhenanus dicit, est, quae hodie Horburgum dicitur, vicus haud magnus Ello flumini imminens et sacello divae virginis vulgo notus, ibi pontem adhuc habet amnis veteris traiectus argumentum, tribus millibus a Sletstadio distat, quanquam non ignarus sim quosdam, qui Colmariam eandem nunc esse contendunt, existere, utputa Spiegellius in Staurostichis, quum in enarratione Richardi Bartholini Irenicum sequutus Sletstadio hoc nomen tribuat, sed Leontorio, Stabio et aliis facile consentirem, si ut Rhenanus, ex Argentuariae excidio Colmariam initium sumpsisse affirmarent, dum toto aberrant coelo, qui Sletstadium, quod excidio veteris Elcebi debemus, id nominis imputare volunt. At de his satis, quum lectorem admoneamus, ut in hac aeditione posthac „Argenteratum, quam nunc Argentinam dicunt“

39 legat cum Pirckhemero, qui ita habet: Argenteratum Strasburg certum, non desunt autem, qui Argentuariam Colmar, Elcebum vero Seletstad esse putant, sed falluntur, nam supra Rheni ripam Argentuaria et Elcebus erant. Haec ille.

40 Pagina 61. versu 34 [1.4.84]: „Atilamque ante Gallias ingressum Constantiam, Lutzonium, Byzantium, Chalonium, Masticonem, Lingonem, Burgundiam et

42 Lugdunum ante Aurelianos et Rhemenses expugnasse“. Bonfinius hic citat annales Ungarorum, quos etiam Nauclerus secundo volumine generatione decimatercia ac decimasexta ad Mathiam regem scriptos citat frequenter, at oppidorum nomina ipse describit magis propria, unde inscitia amanuensis hoc in loco oculis

43 obversatur iterum. Ritius vero libro primo Regum Ungariae, quem non dubito, quicquid de Ungaricis regibus scripsit, ex Bonfinio sumpsisse quemadmodum et Nauclerum, quanquam ad Mathiam regem scriptam esse hanc historiam dicat, et inscriptio huius historiae ad Vladislaum Lodovici parentem scripta sit, quod ita

44 puto accidisse. Absoluta secunda decade Bonfinius forsitan obtulerat librum Mathiae regi, quo mortuo, quum iam citra assentationis notam res gestas Mathiae addere posset, tertiam aggressus complevit, in animo autem proculdubio habuit addere quartam, quum in fine tertiae scribat tanquam deliberans de quarta, „hic

45 tertiae decadis finis erit“. Nam vix triginta libris, quae ab expugnatione Iayzae confecit bella Mathias, comprehendere potuisset, morte vero praeventus tantum abfuit, ut plura daret, quod etiam absque praefatione contra morem suum ultimam decadem dimiserit, ac in primae decadis praefatione Mathiae, quae ad maiores suos usque ab Ungaris gesta, quod post eius obitum intercesserat, Vladislai iussu factum dicit. Hunc ergo sequuti ambo Bonfinium (nam Nauclero ac

46 Ritio copia non defuit scriptorum) et ita falsos, quum deceptus fuit ab annalibus,

47 puto, diariis et congestis commentariis vulgi ipse author. Etenim apud Blondum decadis Inclinantis imperii primae libro primo, apud Sabellicum Enneada septima

37 Enneade **b** Enneadae

42 scriptos **b** scripta

47 septima **b** septime

libro nono ferme in fine et apud Albertum Crantz in Vandaliae libro primo lego
 Burgundos cum Vandalis, Halanis et Suevis Gallias invasisse, inter eos Burgun-
 dos sedes sibi apud Eduos, Vesuntios, Cabilonienses, Matisconenses, Lingones
 delegisse, in quibus civitatibus proximisque ad nostra usque tempora
 mansere, ut ipsis in locis pars eius regionis, quae prius Gallia Belgica fuerat dicta,
 48, 49 annos iam plus quam mille Burgundia nominetur. Haec illi. Et cum Atilae tem-
 poribus, nempe quibus Illyricum Budae fratris auspiciis redegit in potestatem,
 occupatis vigesimo tertio ante anno sedibus insolescentes finitimos excursionibus
 vexarent, ab Aetio devicti tamen primam pacem et provinciae possessionem
 quietam a consule impetraverint, facile in annales Ungarorum sub nomine Atilae
 (favet enim sibi ipsi quaelibet natio et omnia egregie facta sibi sumere posse, vel-
 50 let) congesta fuere. Qui enim Burgundiam expugnaret, quae adhuc non extabat,
 vel Burgundiae nomen non habebat, quid, expugnatis civitatibus num bellicae
 artis tam ignarus Atila, ut praesidiis eas nequaquam coereret, ne cum Romanis
 inito foedere expeditionem suam morarentur et ultimum bellum lamentabile illi
 51 efficerent? Constat enim transgresso Rheno Atila illi cum maximis copiis Gun-
 dicarium regem prius ab Aetio victum occurrisset et commissa in itinera, quum
 contra Romanos duceret, pugna Gundicarium et vita et exercitu spoliasset, nihi-
 lominus tamen alias copias auxiliares Aetio ab Burgundis missas esse, quae stre-
 52 nuam Romanis in campis Catalaunicis operam navarunt. Certe vetustatis mo-
 numenta reperiuntur Vesontii permulta, quae nulla extant, ubi depopulator illae
 terrae Atila impetum suum effudit, argumento sunt Elcebus, Argentuaria, Rau-
 ricorum Augusta, Vindonissa, Forum Tiberii, Vitodurum, Aventicum et aliae ci-
 vitates veteribus celebratae, quota enim, quae cladem sub hoc tyranno perpessa
 53 vires resumpsit integras? Quid, si theologo hic aliquod iudicium permittitur, num
 54 quem deus, ut magnifica destrueret, misit, exemplum statuit seculis omnibus? At
 destructa ita in brevi reviviscere, ut flagellum non agnoscas, me Hercle, humana
 55 sors magis quam ira divina mihi videtur. Etenim Babylon, quae sit vetus, adhuc li-
 tigatur inter omnes urbs nimirum ad miraculum usque constructa superbe ac im-
 56 perio florens omnium maximo. Macedonis regiam quis iam novit, Carthago quid
 Graccho restauratori rependit, quam infaustis reaedificata sit omnibus, vel Ap-
 pianum legito vel Plutarchum in vita Gracchi, Hierosolyma quid Adriano, quid
 occidentalibus principibus restaurata retulit gratiae, Dionem videto de ethnico, id
 nos omnes experti sumus, dum illi Iudaeam conservare student, quod Christia-
 57 nam rem publicam perdiderunt. Certe vindicta divina notam habet aeternam,
 exemplum firmum est ira divina, nam specimen semper secum fert et longani-
 58 mitatis et misericordiae divinae, dum ardentissimum amorem in furorem concitatis-
 simum conversum ostendit. Igitur Atilam a Vindelicis et Rhoetis Constantia
 recepta Argentoratum venisse, dein ad Tungros delatus Lugdunensem Galliam
 intrasse, qua parte magis ad septentrionem vergit, Lugduno et Aurelia devastato
 Rhodano trajecto in Narbonensem Galliam sibi fatalem accessisse, commissa
 59 pugna fugatus per viam, quam metu copiarum ingrediendo Gallias pacaverat,
 rediisse in Sicambriam. Si enim in reditu Burgundiam devastasset, triginta post-
 modum in annis vix ad tantam potentiam pervenisset, quod Aruandus Theodo-
 60 rico regi iure gentium, ut est apud solium, Gallias dividendas consulere. Sed de

49 Illyricum **b** Illyrium

51 strenuam **b** strennuam / Catalaunicis **b** Catalunicis / operam **b** om.

59 solium **b** Sollium

- his satis, iam si maxime constaret de Atila, quod Burgundos debellasset, tamen locus corruptus est, nomenclatura oppidorum et sic legendum esset: „Atilamque ante Gallias ingressum Constantiam, Lugodunum, Vesontium, Cabillonum, Matisconem, Lingones etc.“
- 61 Auscos enim in Lugdunensi Gallia populos nemo negat, qui Caesarem vel reliquos geographos legit, Auxitanos appellari, Auxonam aut Auxonum nullibi invenio nisi in Ritio, Luxovium autem multo minus nisi in chronica Naucleri, Lugodinum vero habet Ptolemaeus, cui Stoflerus Traiecti urbem modernam tribuit, Pirckemerus vero Sevenburgum vel Vuorcken, Vesontium et Caesari et Ptolemaeo, omnibus denique celebratur, Cabillo apud Strabonem Cabalio, apud Ptolemaeum Cabelliorum colonia, denique apud Caesarem emporium Romanorum apud Gallias nobile habetur, Matisconae Antoninus in Itinerario, Caesar etiam meminit libro octavo, quum Q. Tullium Ciceronem et P. Sulpitium Cabiloni et Matisconae in Haeduis ad Ararim rei frumentariae causa collocasse dicit. At (inquiet aliquis) constat Columbanum et Gallum ex Hybernia cum discipulis in Burgundiam venisse et Luxovium aedificasse monasterium; hoc si verum, magis nostra vera erit opinio, nam Theoderici Childeberti filii regis permissu id factum referunt centesimo ac quadragesimo anno post Atilae mortem, quod quidem apud Rheginonem ac Sigisbertum videre licet, quanquam Sigisbertus sibiipsi maxime sit contrarius, mortem enim accidisse Columbani anno a nato Christo quingentesimo nonagesimo octavo, quum monasterium Luxovii ab ipso aedificatum tradat sexcentesimo secundo, unde magis mihi imitandus videtur Rhegino, qui intra annum quingentesimum decimumseptimum ac quingentesimum trigesimum octavum id factum tradit libro primo Chronicorum.
- 63 Pagina 62. versu 47 [1.4.105.]: „deinde Orobium, Atacem Ruscionemque traucit, et mox, ubi campi Catalaunici ad Illyrim fluvium“ etc., reponere „Ruscionem“, ut Plinius, vel „Ruscenam“, ut Strabo habet, Illyberim autem legendum esse et non Illyrim geographi docent omnes.
- 65 Pagina 72. versu 47 [1.5.5.]: „quae inter Thabulam et Mosam“. Ptolemaeus Belgicae Galliae septentrionalia Britannicum oceanum spectantia inter caetera habere Tabudae fluminis ostia post Gessoriacum dicit, ergo lege „Inter Tabudam et Mosam“. Mosa vero, quam de eo flumine aliquid scribam notior, cuius ortum, si quis requirit, apud Caesarem De bello Gallico quarto libro inveniet.
- 67 Pagina 104. versu 33 [1.7.87.]: „Thorismundus his verbis commotus“ etc. usque „ad Urtrium amnem, qui Asturiam Hiberiamque interfluit.“ Bonfinium hunc locum ex Iornande habere tam certum est, quam manifestus error in hac sententia deprehenditur, mortem etenim Thorismundi prius descripsit, cui bellum hoc iam tribuit. Sed error est librarii, Theodoricus enim, qui in regno Thorismundo successit, cum Ritiario bellum gessit rege Suevorum, quod bellatum tradit Iornandes ad Urbium fluvium, quum nos habemus Urtrium, sed utrunque falso, Durium vero scribendum censeo, nam praeter Volaterranum, qui tantum Urium nominat, neminem invenio, Dorius Ptolemaeo amnis est, qui Straboni Durias, caeteris sane geographis quin etiam Isidoro Hispano nato Durius dicitur. Librario, si quis etiam hunc errorem adscribere voluerit, me non habebit adversarium, certe Bonfinius, quem sequeretur, praeter Iornandem habuit neminem, etsi Blondus, Sabellicus, Nauclerus, Sigisbertus devictos Suevos dicant, pugnae locum non indicant.

60 Lingones b Lingonas
62 filii b filio

71 Pagina 108. versu 18 [1.7.163.]: „Nisam occupat, Aradeam et Larissam in
72 Thessalia expugnat.“ Utinam minus ingenii haberent aliqui alienis in scriptis, ni-
73 mirum veterum scripta puriora haberemus! Dum enim sibiipsis placent, saepius
recte scripta temeraria ambitione mutant, suam ad sententiam corrigunt, adimunt
74 nonnunquam, demunt plerunque bonis authoribus, unde emergit, quod hunc lo-
cum, quo alter in hoc opere vix magis extat corruptus, commode emendare
75 haudquaquam possumus. Est tamen apud Iornandem, ubi desumpsit haec author,
Heraclea, pro qua ingeniosus ille scriba Aradeam posuit non absque iniuria au-
thoris; pro Naisso, nescio, quis sciolus, quum idem in contextu erat, Nisam scripsit
76 extremitatibus papyri, quem operae, ut alias, sequuti ab eo falsi sunt, certe
Brenneri manus non est. Habet deinde Iornandes Cerropellas, ubi exemplaris
error typographum etiam fefellit, nam statim altero versu in civitate Cerras
obiisse ait Theodomirum; Europam Gothicus scriptor et alia, quae sequuntur
77 deinde, ponit, quod facile una litera corrigi potest, Europus enim Macedoniae est
civitas. Item quum Peliam habeat Bonfinius, Pellam legendum est, quanquam me
non fugit Pelium quoque Thessaliae urbem fuisse, pro Sium vero Petinam, Me-
dianam, Bereum et Cerras, ut Iornandes legit, ut vero Bonfinius habet, Me-
diuiam, Petuiam, ego non gravate apponerem „Singium, Titanium, Methonem,
78 Beroaeum et Pheras“, quae quidem Macedoniae et Thessaliae oppida sunt geo-
graphis omnibus celebrata. De Naisso me haud pudet fateri certi posse dicere ni-
hil, quanquam minori errore novi nominis fuisse urbem dixerim, quam quod Ni-
sam intelligerem, quarum tres numerantur, una Atticae navale scilicet, alteram
Hyrcaeniae, ultimam Indiae Baccho celebris, et in illis tribus saepius quaelibet Ni-
79 seae nomen accipit, sed in omnibus his facile fuit scriptorem Gothicum in nomi-
nibus falli, *νησος* autem insula est, sed ne omnino praeterita a me videatur,
„Nesum“ pro ea restituerem, quam urbem fuisse claram Boeotiae prope Thessa-
liam Plinius libro quarto duodecimo capite dicit a Portitore Neso forsitan ita dic-
tam, qui (ut Strabo ait) ab Hercule occisus, quod Deianiram, quum traiceret
78 flumen, quod iam idem nomen habet, violare tentaret. At Bonfinius ita habet:
„Nisam primam urbem occupat et incendit, paulo post, mox Nisitanam urbem in
deditionem accepit, impositoque praesidio Thessalonicam petiit, quam Alarianus
79 patricius“ etc. Paulo sibiipsi concinit melius Iornandes, sic enim loquitur: Nais-
sum primum urbem invadit Illyrici et mox egrediens Naisitanam urbem paucis ad
80 custodiam derelictis ipse Thessalonicam petiit, in qua Clarianus patricius. Quid
hic Nisam occupare, paulo post in deditionem accipere, quid Naissum invadere,
81 Naissitanam urbem egredere, quis Alariani nomen vel Clariani apud Romanos
audivit? Ingenuae ego totam sententiam, quomodo legendum censeam, profite-
82 bor: „Thiudimer Illyricum invasurus traiecto Savo cuncta longe lateque discursat,
pagos et oppida diripit, Nesum primo urbem occupat et incendit, Heraclem et
Larissam in Thessalia expugnat, mox egressus Nesum impositoque ibi praesidio
Thessalonicam petiit, quam Tatianus patricius cum magno equitatu tuebatur,
Gothorum tamen multitudinem veritus maximis hostem largitionibus ab eius ob-
sidione divertit. Icto foedere incolenda his loca sponte distribuit in primisque
Phaeras, Pellam, Europum, Methonem, Titanium, Beroaeum et Singium; Gothi
inventis sedibus inita pace quiescunt; Thiudimer Phaeris gravi morbo confectus“

81 Thiudimer b Thindimer

82 Thiudimer b Thindimer

- 83 etc. Si quis vero mirabitur, cur Tatianum pro Alariano vel Clariano posuerim, a
 Martiano Illyriae Tatianum Iulium Constantinopoli paulo ante ipsius mortem
 praefectum fuisse facile inventu est.
- 84 Pagina 109. versu 23 [1.7.190.]: „commisso feliciter ad Margum oppidum
 85 praelio“ etc. Apud Iornandem est Margoplanum oppidum, necnon Martianus
 fluvius, quum vero haud dubitem diversa Bonfinium exemplaria vidisse, suum
 cuique esto liberum hic iudicium, author vero noster Plinium videtur sequutus
 esse, nam Magnum fluvium errori scribae tribuo, Plinius nanque Margim Moesiae
 86 flumen esse et apud eundem eiusdem nominis extare urbem tradidit. Unde si quis
 Martianum apud Iornandem, apud Bonfinium librariorum inscitia Magnum po-
 situm esse contendere vellet, diutius illi non adversabor.
- 87 Pagina 110. versu 24 [1.7.207.]: „Sicilia bellorum causa“, „Sicilia bellorum“ *
 cum asterisco, signo defectus scilicet, erat in contextu, addidit Brennerus non
 absque iudicio „officinam“, at castigatorem vocabulum istud „causam“ inserere cu-
 88 ravit ratione forsitan usus non praepostera. Iornandes autem, ex quo locus hic
 desumptus est, habet ita: Qui dux prudentissimus haud secus arbitratur Gotho-
 89 rum subigere populum, nisi prius nutricem eorum occupasset Siciliam. Quae ge-
 nuina est lectio, nam Iustinianus expulsis Gothis et subiecta Africa Italiam a iugo
 Gothorum liberare decreverat consulto Belisario duce, is haudquaquam prae-
 stare id posse putabat, quamdiu et arma et frumentum ex Sicilia habere possent,
 est enim in hodiernum diem Italiae nutrix unica illa Sicilia, nam memini me, quum
 anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto mense Augusto agerem Messa-
 nae, Melazi et Panhormi, vim incredibilem frumenti ab negociatoribus Genuen-
 sibus, Pisanis, Florentinis, Venetis et aliis evehi vidisse, tamen annonae copiam
 tantam restasse semper, quod picciolis (numismatis genus, quarum sex precium
 fere quinquuncis efficiunt) duobus pane per diem empto naturae satisfacerem
 immo abundarem candidissimo, quum mense Octobri deinde Romae vix Iulio
 etiam furfuracei panis ad saturitatem mihi parare possem, sed si quis auctoritatem
 maiorem ambit, Procopium videat De bello Vandalico et Gothico.
- 91 Pagina 111. versu 49 [1.7.241.]: „in patentes Feldiae agros“ Quum Bonfinius
 in rebus Hunnicis, quem sequeretur Iornandem, dignum haberet, eo iam defi-
 ciente et lectorem ad Paulum Diaconum remittente hunc locum ex Cassinensi
 monacho libro primo capite decimotertio exceperit, inquit etenim: Egressi quoque
 Langobardi de Rugilandia habitare in campis patentibus, qui sermone barba-
 92 rico felden dicitur. Urspringensis, qui Diaconum sequutus paulo syncerius tradit
 haec ut Germanus: Post haec (inquit) egressi Longobardi de Rugilandia, quae la-
 tino eloquio Rugarum patria dicitur, habitaverunt in apertis campis, qui sermone
 barbarico appellantur feld; haec, ne quis feldiam certi loci appellationem putaret,
 93 addere placuit: quum etiam hodie apud Germanos campus feld dicitur. Igitur le-
 gendum est: „in patentes campi agros, quos feld appellant, descenderunt“.
- 94 Pagina 120. versu 6 [1.8.147.]: „Alanorum regi“, lege „Alamannorum“, sic
 enim habet Paulus: Alamanni autem dicti sunt Suevi, quos a Bavaris solus Lycus
 distinguit, quod vel omnium scriptorum testimonio vincam vel idiomate gentis,
 etenim postquam ad Augustam Vindelicam Lechshausen pontem tantummodo
 95 Gualfredum Sancti Galli abbatem sic loquentem: quum duo sunt vocabula Suevia
 et Alamannia unam gentem significantia, item Honorius, quem sub nomine
 Anshelmi, puto, falso citat saepius, nam Trithemius quatuor eiusdem nominis

- 96 viros fuisse sed nullibi aliquem ipsorum Imaginem mundi conscripsisse mentionem facit, id habet: A Danubio usque ad alpes est Germania superior, quae a germinando populos dicitur, versus occasum Rheno, versus Aquilonem Albia flumine terminatur, in hac est regio Suevia a monte Sueyo dicta, haec est Alemannia ab Lemanno lacu appellata, haec et Rhoetia dicta. Huius Honorii opuscula sex sub praelo iam habituri sumus, ac ex quatuor venerandae vetustatis exemplaribus describentur, quorum primum nobis amicus olim noster, qui id a Brassicano et nimirum Brassicanus ex bibliotheca Budensi acceperat, suppeditavit, secundum Gilbertus Cognatus patronus meus liberalissimus ac spes Burgundiae altera canonicus Nozeretensis Desiderii Erasmi Roterodami olim amanuensis fidelissimus et senectutis venerandae custos ex Salinensi bibliotheca, Gregorius Mangold vir syncerus tertium ex libraria Constantiensi sed tribus libris carentem obtulit, quartum dedit Ioannes Henricus Muntzingerus scholae Divi Petri apud Basilienses moderator iuvenis in mathematica ac medicina exercitissimus.
- 98 Quibus de libris, quod dem, aliud non habeo iudicium, quam in iis, quicquid apud philosophos de rerum natura aut obscurius aut luculentius traditum est, in his paucis ac clare inveniri, ne interim dicam, quanta diligentia tempora mundi congrue et ordine digesta sint.
- 99 Sequitur autem in nostro authore versu nono [1.8.149.]: „quae Azellia dicitur, ad Meclariam usque protendebatur“, quum Paulus habeat: Eo vero tempore Sclavorum regionem, quae Aglia dicitur, usque ad locum, qui Medaria appellatur, possederunt; at pari hic errore laboratur, etenim Agliam et Medariam vel Azelliam aut Meclariam nullus unquam legit, Aquilegiensem vero regionem a Madirio oppido parum distare quis nescit, cum omnibus notum sit Sclavos quandoque Dalmatiam et Venetiam ferme totam occupasse.
- 100 Decimo iterum versu [1.8.152.]: alterum irrupit erratum nempe Aguntum.
- 101 Meminerunt huius belli et Nauclerus et Phrysingensis, sed locum non tradunt, unde iudicium ad lectorem remitto, quid sit legendum, si autem coniecturis locus daretur, Moguntiam reponerem, siquidem Norimberga, quae olim Boiorum (qui et Bavari) caput fuit et regis sedes Bavarici, ut aliqui volunt, vicinos habuit Sclavos, qui Moeni ripas inhabitarunt, unde ad Magundum, sic enim nonnulli appellant Moguntiam, infesti exercitus proculdubio sibi invicem occurrere, nam Moguntia e regione confluentis Rheni et Moeni hodie adhuc extat.
- 102 Ergo tribus in his paginae locis sic lege, versu scilicet sexto: „nam altera Alemannorum regi, Bavarorum altera nuptui data fuit“; iterum versu nono: „haec regio, quae his subdita fuerat, a Sclavorum parte, quae Aquilegia dicitur, ad Madirium usque protendebatur“; versu vero decimonono: „Garibaldus eius filius ad
- 103 Maguntiam a Sclavis profligatur“. Quae haud ab re nos sic mutasse diligens historiarum lector videbit.
- 104 Sed his tribus non minor in hac pagina invenitur error, versu scilicet quadagesimo [1.8.163.]: „Per Aionem Arichis Beneventani ducis filium insaniae pharmaco potionatus est.“ Id quod omnino contrarium est, quod Paulus tribuit Aioni, hic Rothari Longobardorum regi adscribit, siquidem Rotharis genere Harodus vir fortitudine civilique administratione tunc temporis clarissimus ille Arichum Beneventi ducem fama nominis sui tantum pellegerat, ut Aionem, quem habebat, filium spem ac indolem prae se ferentem regiam in aulam Longobardi, ut ibi disciplinis militaribus instrueretur, mittendum censeret. Dimorabatur Rotharis apud
- 106 Ticinum, quem iuvenis quum ex Samnio solveret invisendum, Ravennam per-

venit urbem, quae tum sub hexarchi imperii tenebatur, ibidem quum permulti
 essent Romani, qui aegre ferrent Longobardorum nutu in Italia omnia fieri, ipsis
 imperio exutis vindictam in iuvene innocente exercendam putarunt, sed id aperte,
 quum ob vires Arichi parentis et cognati Rotharis haud ausi essent potionem illi
 07 tradidere, quae nonnunquam illi sensus adimeret omnes, et quanquam a delirio
 convalesceret, posthac tamen sani plenique sensus nunquam fuit. Hic Bonfinii an
 scribae sit error, nescio, certe apud eundem Paulum constat Rotharim et iustum et
 fortem fuisse ac tam tenacis memoriae, ut Longobardorum leges, quas ille scripsit,
 08 codicem earundem edicti nomine evulgavit, ad unguem absque scripto retineret,
 in qua quidem re Paulo multum tribuendum censeo, ut in re patrum sui, in qua
 minus quam in aliorum gestis ipsum hallucinasse nemo neget. At ipse Rotharis
 post mortem mali aliquid et speciem phrenesis violatori suo, ut Paulus refert sex-
 todecimo capite libro quarto, ac vindicta divi Ioannis Baptistae incussit, erat enim
 Ticini iuxta basilicam eius sancti humatus, nocte quadam ornamentorum genere
 109 spoliatus est, unde quotiescunque sacrilegus basilicam Baptistae intrare postea
 voluit, quasi a quodam in gula feritus semper recessit eiulando. Quomodo igitur
 sententia haec restituenda, apud Paulum et reliquos invenies, ego autem sic lego:
 „A Romanis deinde Aio Arichis Beneventani ducis filius insaniae pharmaco po-
 10 tionatus“ etc. De his etiam vide Sabellicum.
 11 Pagina 124. versu 22 [1.8.241.]: „quare eo anno tanta leguminum copia“, aliter
 paulo habet Paulus libro quinto capite sexto, cuius haec sunt verba: Eoque anno
 legumina, quae propter pluvias colligi nequiverunt, iterum renata et ad maturita-
 tem usque producta sunt.
 12 Pagina 125. versu 3 [1.8.255.]: „ne eius quidem populi Romanorum oppidum
 13 impune dimisit“. Praeter id quod manifestus error eo, quod ex hac sententia om-
 nino nihil elici potest, in toto exemplari scribae inscitiam nullibi evidentius de-
 14 prehendi. F enim literam consonantem agnoscens pro vocali e, puto, animum
 habens iam scriba in poculis posuit; sic „eorum“, quum esset in exemplari, muta-
 runt quidam in „eius quidem populus“, quum grammatica ratione „populi“, quod
 15 in contextu erat, haud concinne hic positum viderent. Corruptus igitur a scriba
 locus etiam operae decepti sunt, quorum officium est diurnum persolvere pen-
 sum, at castigatores aliud forte meditantes locum inenucleatum dimisit, sic itaque le-
 gendum nemo inficias, ibi: „Ne Forum quidem Pompilii Romanorum oppidum“
 16 etc. Quum Paulus libro quinto capite decimo ita legit: Sed et Forum Popilii Ro-
 manorum civitatem, cuius cives eidem adversa quaedam intulerant, quum Bene-
 ventum proficisceretur, legatosque illius euntes et redeuntes a Benevento saepius
 17 laeserant, hoc modo diruit. Quadragesimae tempore per alpes Bardonis Thu-
 sciam ingressus nescientibus omnino Romanis in ipso sacratissimo sabbato Pa-
 schali super eandem civitatem ea hora, qua baptismus fiebat, inopinate irruit,
 tantamque occisorum stragem fecit, ut etiam diaconos ipsos, qui infantulos bap-
 18 tizabant, in ipso sacro fonte peremerint, sicque eandem urbem deiecit, ut usque
 hodie paucissimi in ea commaneant habitatores. Popilienses hos Sabellicus dicit,
 et eandem eorum cladem refert Enneade octava libro sexto, integrum illis nomen
 reservat Blondus decadis primae libro nono ac in Italia illustrata, quod illis quo-
 que Plinius libro tertio capite decimoquinto inter veteres geographos dedit, dum

octavam describit Italiae regionem, inquit enim: oppida Cesena, Cliterna, Forum Clodii, Livii, Pompilii.

119 Item versu nono huius 125. paginae [1.8.257.] impressum est „Sepiano, Oviano et Iseruia“, tu repone „Sepino, Boviano et Esernia“, quae (Livio teste) rectius legi possunt, is enim Sepini memor decimo libro decadis primae inquit: Papyrio ad Sepinum maior vis hostium restitit; Sepinates eos nominat Plinius libro tertio capite duodecimo. De Boviano vero apud Livium habes etiam libro 120 nono decadis primae: Petilius Dictator, quum audisset arcem Fregellanam ab Samnitibus captam, omisso Boviano ad Fregellas pergit. De Esernia ex Livio 121 Florus: Esernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed de his plura Blondus in descriptione Aprutinae regionis et Volaterranus libro Geographiae sexto.

123 Pagina 126. versu 43 [1.8.294.]: „Gisulphus Beneventanorum dux Goram, Hyrpinum et pleraque Latii oppida“, Paulus habet „Orsura, Hyrpinum“ sed corrupte, tu lege „Soram, Arpinum“, quarum meminit urbium Livius libro nono decadis primae Soram, Arpinum et Consentiam eo anno quo Bovianum a M. Fulvio consule captum ab Samnitibus receptas esse ac Herculis magnum simulachrum in Capitolio positum. De his vide etiam Volaterranum ac Sabellicum Enneade octava libro septimo, Blondum De inclinatione imperii decade prima libro decimo, Nauclerum Chronographiae libro secundo generatione vigesima quarta.

125 In huiusce paginae versu 49. [1.8.295.] ita legitur: „Scotias alpes a Longobardis olim usurpatas“; locus hic ita apud Paulum habetur, quem etiam Blondus, Sabellicus, Platina et reliqui imitati sunt: Aribertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cocciarum, quae quondam pertinuerant ad Apostolicam sedem, sed a Longobardis multo tempore fuerant ablatae, restituit. Haec ille. Coccias Alpes dici eas, quae Poeninas et Graias ob transitum Hannibalis et Herculis, Volaterranus ac alii tradunt, Cotii agri meminit Strabo libro Geographiae quarto, nomen id, si Marcellino credendum, primo Augusti temporibus acceperunt, is enim ait Cotium regem Augusto familiarissimum devictis Gallis eo duodecim construxisse civitates militibus et viatoribus commodissimas, quarum etiam Plinius meminit libro tertio capite vigesimo. Defuncto illo rege Neronis tempore, de quo an sceleribus suis plus damni aut infamiae conciliarit Romano imperio, ambigitur, tamen haec foelicitas urbi affulsit, ut duae accederent provinciae, Pontus scilicet Polemoniachus et Alpes Cottiae, ut videre est apud Eutropium libro nono, quam Constantinus alias avarissimus princeps in ditanda iam ecclesia, si nonnullis credendum, profusissimus et perniciosissimus Romano episcopo dono dedit, sed an fidem mereantur hic Romanae curiae asseclae, Vallam constituo arbitrum, multa nanque de his tradunt instrumentum, ut vocant, donationis Sabellicus, Blondus, Platina et Nauclerus, quum non desunt, qui Arithbertum, de quo nobis mentio, primum devotione commotum, ut Romanae ecclesiae redderet, quod maiores Romanis principibus abstulerant.

129 Habes autem de Alpius his alterum mendum pagina 127. versu 40. [1.8.314.], ubi iterum de donatione aut restitutione Alpium Cocciarum confirmata mentio et Scotiarum vides nomen appositum.

130 Pagina 128. versu 40 [1.8.333.]: „Ameriam, Ortam, Palima, Marium Bloramque“, Blondus et Sabellicus inter se etiam discordant hoc in loco, Bleram ponit Blondus, Bletam Sabellicus, Polimartium ambo, de Ameria nulla est controversia, ita ego legendum credo: „Ameriam, Orthium, Pollentiam, Matelicam,

Blerati“. Nam Ortha Thessaliae civitas est, quum Orthium etiam Straboni celebretur: Orthium (inquit) est in Feretanis petra piratarum, qui domicilia sua ex naufragiis construunt, et in reliqua vita immanitate belluas imitari feruntur. Haud ignarus sum Blondum in descriptione Italiae Orthae mentionem facere et ad Tyberis fluentia eandem dicere vetustissimam civitatem, sed eius nomen caeteris geographis priorem habere dicit Plinium, quod error est, Ortonam equidem habet et non Ortham libro tertio capite duodecimo, quod quidem huic historiae, si ita esset, aptum omnino. Nam Luitprandus, postquam Romam frustra obsederat, in Umbriam declinavit ac Ameriam expugnavit, potuisset ergo traicere flumen ac occupare oppidum, sed quum apud veteres hoc nomen nondum inveni, Orthium interim legam. Probarem quoque magis Pollentiam haud procul a Tolentino distantem quam Palimam aut Polemartium, nisi cui arrideat id, quod Plinius habet, Palmam, quem agrum Siculi et Liburni, antequam ab Umbris expellerentur, possederunt. Nec puto me errare, si Mathelicam pro Marium legam, Blerati pro Blora, de quibus et Strabo libro quinto et caeteri vetustiores scribunt, quum nec in Illustrata Italia Blondus sermonem harum faciat.

Pagina 129. versu 30 [1.8.351.]: „Urbinum, Cales“. Ex Petro Guilielmo Lateranensi bibliothecario descripta esse haec omnia Blondus et, qui ipsum sequitur, Sabellicus testes esse possunt, in Historia inclinantis imperii Colles habet Foroiumliensis, quod in Illustrata Italia Callium ad flumen Candianum situm appellat; Volaterranus novum nomen esse affirmat veteribus ignotum. Certe Caleti Morinorum sunt populi apud Strabonem, quorum urbs iam Cales, Ptolemaeo Gesoriacum navale dicitur, ac Plinius etiam libro quarto capite decimosexto de Britannia et Hybernia loquens sic ait: haec abest a Gessoriaci Morinorum gentis litore proximo traiectu quinquaginta milia minimum. Igitur, ne quis decipiatur, legat „Urbinum, Callium“.

Pagina 133. versu 52 [1.9.84.]: „Barbonium“ repone „Borbonium“, sic caeteri habent omnes, et Lugdunensis Galliae comitatum esse Borbonensem, qui ignoret, etiam absque geographorum scriptis neminem puto praesertim hac tempestate, quum haud impigro duce illo et vero Gallorum militum patrono Carolo e Mompensier absque iusto successore defuncto dominium illud rex Franciscus, ut par est, iam retinet. Is autem Carolus prudens et pius nesciens ultra impetum multorum invidum ferre (nam quo plus virtus lucida est, eo magis conantur rabidi eam denigrare) ex aula se subduxit, deinde ex regno salutem sibi fuga concilians a caesare nostro non minus honorifice quam avide receptus ob summam militiae disciplinam de eo ubique praedicatam sua arte in regem Gallorum commodissime usus est, postea in Romae obsidione caesus, qui si vixisset, erat illi in voto prodesse adhuc suis Gallis, non modo motus dulci amore patriae verum inconstantia fortunae adversae et notitia rerum aulicarum, quibus nullae sunt magis multiformes, sperabat se adhuc in patriam revocaturum, quod profecto factum fuisset, ni superi magis favissent quieti suae et caesari nostro candidissimo quam uni Gallo. In hac historia Ungarica exempla huic rei perquam similia certe invenies, sed iam ad annotationes.

Pagina 134. versu 9 [1.9.88.]: „Ferrariam, Comadam“ lege „Comaclum“ Fossae Clodiae propinquum oppidum ac piscatione foecunda per totam Italiam celebratum, de quo vel Blondum in descriptione Romandiolaie videre potes.

Pagina 136. versu 35 [1.9.143.]: „Bavari post haec“. Quum inter se dissentiant historiographi, quem sequi possis tutius, neminem praeter Reginonem habes, is

- enim de Tassilone duce ab anno domini incipiens septingentesimo quinquagesimo sexto usque ad annum septingentesimum octuagesimum octavum loquitur per-
- 146 multa. Caeterum Alcuinum vel (ut alias vocatur) Egnihardum qui imitantur, ut-
puta Donatus Acciaiolus in Vita Caroli et Albertus Crantz in Vandalia libro se-
cundo capite vigesimo tertio, in Saxonia libro secundo capite quinto, semel de-
victum, statim capite damnatum et misericordia vitae reservatum in monasterium
- 147 detrusum dicunt. Huius opinionis sunt et Blondus et Sabellicus, hic secunda de-
cade libro primo, ille Enneade octava libro octavo; quid vero de hac re Nauclerus,
Ursprungensis, Phrysingensis ac Hugualdus Mutius sentiant, hic volumine se-
cundo generatione vigesima septima, alter in descriptione annorum Constantini,
tertius libro quinto capite vigesimo octavo et vigesimo nono, ultimus demum in
- 148 fine libri Germanicae chronicae septimi ostendunt. Omnes autem Luithbergae
Desiderii filiae instinctu et bellum movisse et redintegrasse Carolo dicunt, tanta
superbia vehitur sexus foemineus, ut vel ipso Iovi tutius aliquid detrahas, quam
animali vindictae cupidissimo, non placatur nec vita nec sanguine quidem, unde
illud Propertii: Altera vix ipso sanguine mollis erit, et illud Cassandrae apud tra-
gicum, quae mortuo eversore patriae laeta moriebatur ita aiens: Iamiam iuvat vi-
xisse, post Troiam iuvat.
- 149 Pagina 142. versu 5 [1.9.266.]: „Ringinum oppidum“, quod Ringium apud
Blondum habetur in Inclinatione imperii decade secunda libro primo, puto
mendum esse, nam dum Italiam illustrat, Ruuignum habet in descriptione Istriae,
Polae scilicet oppidum proximum, Blondum igitur sibi ipsi dissidentem haud
credo.
- 150 Pagina 143. versu 5 [1.9.284.]: „Bibliothario praetermissum“, tu lege pro hoc
151 „bibliothecario“. Miror, qui fit, quod ex vocabulorum nomenclatura illi non
152 suboluit hic mendum esse, sed nemo est (ut homines sumus) non errans. Biblio-
thecarius autem hic citatus Petrus est Guilielmus Lateranensis Romanae ecclesiae
canonicus ac bibliothecarius, qui de rebus gestis ecclesiae et Romanorum ponti-
ficum praeclaros scripsit commentarios a Blondo, Platina, Sabellico et aliis
imitatus, de qua re vide Blondum secunda decade libro primo.
- 153 Pagina 144. versu 4 [1.9.305.]: „Sorbienses, qui Albis fluvii accolae sunt“, er-
154 rore Blondi decepto hic authore, tu „Sorabos“ lege. Extat enim locus apud Al-
bertum Crantz in Vandaliae libro secundo decimonono capite ita sonans: Albis
enim occasum ruens primo impetu Boemos alluit cum Sorabis, idem eodem libro
capite vigesimo septimo ita habet: Boemos quoque et Vandalos, Sorabos, de
- 155 Henrico Saxone imperatore loquens, qui eos edomuit. Donatus Acciaiolus huius
belli mentionem faciens in Vita Caroli ita inquit: Nam paterni regni fines in Gallia
Rheni, Ligeri Oceanoque et in Germania Danubio et Sala fluvio, qui Thurios a
Sorabis dividit, continebantur, quanquam hic in mentione Thuringorum mendum
- 156 reperitur, quum Thuringos intelligat Donatus. Horum etiam meminit Ursprung-
ensis in annis Lodovici imperatoris prodigia quaedam enumerans, dicit: In re-
gione Thuringiorum quodam in loco iuxta fluvium quendam cespes longitudine
pedum quinquaginta, latitudine quatuordecim, altitudine sesquipedali de terra
sine manibus praecisus et sublatus ab eo loco, in quo sumptus est, viginti pedum
spacio distans inventus est, item in parte orientalis Saxoniae, quae Soraborum fi-
nibus contigua est, in quodam deserto loco iuxta lacum, qui dicitur Arnsee, in
modum ageris terra intumuit, et limitem unius leucae longitudinis porrectum sub
- 157 unius noctis spacio absque humani operis molimine instar valli subrexit. Sorabo-

rum meminit etiam Irenicus libro Exegeseos duodecimo in nomenclatura incipiente ab litera s, haec tradit: Sorrabi alii uno r, alii Sarabi, Saxones sunt secundum Geblacensem iuxta Thuringos tantum flumine Sala (secundum alios Sara) divisi. Celtes in Germania, Spanhemius in Historia Francorum, ubi de Dagoberto loquitur, Sorabos Boemos dixit, cui non accedo, verum Thuringos dici potius assererem. Rhenanus autem non sine honore mihi nominandus libro primo, quum de Venedis Sclavinis in Germania sua tractat, inter alia dixit: Varias autem nationes comprehendit Sclavinorum nomen, Hevellos, Sorabos et similes.

158
159
160, 161 Pagina 147. versu 26 [1.10.27.]: „quare Lodovicum“. In errore manifesto litigare supervacaneum puto, extat locus hic passim apud historiographos, ubi apparet aut pii titulum aut Lotharii filii inaugurationem care emisse Lodovicum, nam ut famae aut filio consuleret id, quod (ut puto) nunquam antea habuerant, Romanos pontifices, scilicet ut episcopos, ordinare praeter veniam ipsorum nullus principum amplius auderet, ipsis concessit. Sed ex Blondi decade II. libro II. ponamus sententiam; is inquit: Tradunt etiam Eginhardus, Paulus et Richardus scriptores Lodovicum in Paschalis Romani pontificis manibus renunciasse iuri, quod Adrianus primus pontifex Romanus Carolo Magno genitori suo concesserat. Id tradit et Sabellicus Enneade octava libro nono, quod quidem curtisani diligentius suo iuri inserverunt, textus enim sexagesima tertia distinctione „ego Lodovicus“, ibidem sibi tantum reservat, sibi a successoribus, ut pontifex electus, postquam consecratus fuerit, legatos suos ad imperatorem seu successores suos Francorum reges dirigat, qui inter pontificem ac imperatorem amicitiam et pacem consociet. Hic autem confunditur Adrianus et Urbanus, et quamquam in Paschae die Lotharius filius Romae rex coronatus sit, tamen Paschalibus feriis non relinquatur locus, ex quo, ut sententia magis clara fiet, sic legendum est: „Lodovicus imperator Lotharium Italiae regem declaravit, ad Paschalemque pontificem Romanum misit, quem ille corona donavit et appellavit augustum, quare Lodovicum tantum Romanae ecclesiae tribuisse aiunt, ut potestati ac iuri, quod Carolo Magno parenti Adrianus pontifex ultro concesserat, hanc sponte renunciasse plerique confirmant, Adrianus nanque Carolo Magno ob rem semper erga Romanam ecclesiam optime gestam creandorum ius pontificum Romanorum omniumque episcoporum sane concesserat, quod suo posterorumque nomine tunc Lodovicus filius Paschali pontifici sponte remisit.“ Haec genuina erit lectio.

162
163
164
165
166
167, 168 Pagina 148. versu 34 [1.10.52.]: „spatarii augustalis dignitate donavit“. Petrus Tradonicus princeps Venetus, de quo libro Venetiados undecimo P. Franciscus Modestus Ariminensis: Dehinc Petrus infenso Tradonicus excipit astro Summam urbis, et reliqua, is protospatharii dignitate primo (nam deinde ab imperatoribus Constantinopolitanis principes Veneti saepius hac dignitate decorati sunt) a Theodosio navarcho Michaelis Trauli imperatoris donatus est, ut ex Blondo citat Sabellicus Enneade nona libro primo et in Venetae historiae decade prima libro tertio. Haec quidem dignitas ab imperatore prima est, qua insignitus (ut Sabellicus testatur) militiae princeps apud Romanos, apud Graecos magnus dicitur domesticus, eius autem officium est gladium, quod quandoque Graecis vocabulo *σπαθη* intelligitur, praeferre orientali imperatori eodem modo, quo Saxoniae princeps augusto occidentali, quemadmodum in bulla illa Caroli quarti aurea cautum est, ac ut Urbini princeps Longobardorum regi in inauguratione ac curia

157 Soraborum b Sorabum

(ut vocant) regali, haud multum absimile consuetudo habet Austriacae Vienna, ex qua urbis iudici, quacunque incedit, puer cum gladio sed non evaginato ostro vero cooperto praemittitur, quod ego Vienna, cum Turca foeda fuga obsessam urbem reliquisset, vidi cum admiratione. Gestamen illud gladii ante regem Gallorum habet etiam locum, unde qui fungitur hoc munere, habetur pro summo magnate et (si bene memini) is, qui gestat, comestabilis vocitari solet.

171 Pagina 150. versu 43 [1.10.95.]: „Augustam Vindelicam prope Lemannum
172 fluvium“. Lemannum fluvium in Germania esse hactenus legi nusquam, at de Alemanno fluvio, qui (teste Munstero hoc aevo inter mathematicos ac Hebraeae linguae principe) nunc Altmul dicitur, quò nullus Germaniae fluviolus insignior habetur optimorum et maximorum cancrorum propagatione, at non desunt, qui illum Almonum et non Alemannum appellant, si quis intelligere volet, nihil ad Augustum, nec magis huc Lemannus lacus quadrabit, quia Sequanos is ab Helvetiis dividit. Licum autem ad Alpium radices orientem Alemannos, id est Suevos, a Bavaris dirimere, Augustam quoque praeterfluere certum est, nam ibi Vinda Licum influit, quod Vindelicorum nomen urbi adiunxit. Habet Augusta inter urbes Germaniae nomen a nullo secundum, sed pietate et opum flore magis abundat caeteris urbibus, et ne familiae unae magis quam alterae favere videar, haec fateri audeo incertum esse, an divitiae apud ipsos literis bonis, an literae bonae divitiis praevalent. Caeterum de pugna hac Nauclerus secundo Chronographiae volumine generatione trigesima prima, quum Luitprandus Ticinensis, quem noster Bonfinius, quum percurrisset, Diaconum imitatus est, sic habeat: Iam iam rex Lodovicus collecta multitudine Augustam venerat, quae est in Suevorum, Baioariorum sive orientalium Francorum confinio civitas, quum insperata magis non autem optata gentis huius nunciatur vicinitas, sequenti igitur die Lemanni secus fluminis campos Martio operi capacitate sua aptos utraeque acies convenere. Hic habes Augustam, quam caeteri omiserunt, Lemannum fluvium, vides falso esse positum, qui nusquam exstat. Praeterea patentes campos quis regionis peritus non intelligit, quod vulgo Lechfeld dicitur? Est enim ab Augusta Landspergam usque per sex milliaria Germanica longitudine sumpta, latitudine in nonnullis locis unius, nunquam minus quam medii milliariae planities perennis Lico imminens fluvio unica tantum taberna, quae vocatur Zum Stadel, interiecta. Et Ursprungensis de Lodovico loquens id dicit: Cuius anno primo Ungari Baioariam vastarunt, sed Lodovicus gentis suae depopulationem non ferens magno exercitu coacto iuxta Licum fluvium cum eis pugnavit, cuius pugnae initium, quum Lodovicus primo victor, describit carmine Luitprandus hincinde apud poetas corraso sed admodum confuso: Prius ac Titoni croceum linqueret Aurora cubile, versi in fugam Ungari directis acriter belis plurimos sternunt.

180 Nubibus omnipotens Heloim quum condere Phoebi
Lumina chrysocomi venerandus coeperit atris,
Vertice quumque polum summo clamore remugit,
Fulgura crebra volant solio demissa tonantis
Ignea, mox trepidant, qui nigrum in candida vertunt,
Conscia tunc metuunt scelerum sulcare suorum

174 Diaconum **b** Diaconem

179 Titoni **b** Titani

180 sulcare **b** sulcaro / e vacuis volitant **b** ei vacuis volant

Pectora, iudicio pariter ruitura superno,
Haud secus e vacuis volitant concussa pharetris
Spicula, scinduntur validae queis tergo loricae.
181 Concutit ipsa ruens segetes cum grando superba,
Fit sonitus clangorque simul per tecta sonorus,
Sic galeae strictis reboant tunc ensibus ictae,
Corporaque sic cadunt mutuis confossa sagittis.

182 Iam descendens septimam Phoebus occupaverat horam, et serenus adhuc Lodo-
vici partibus Mars favebat, et caetera, ubi notandum est boltz Germanis sagittam
183 dici, et numero plurali belis hic pro boltzis positum, solent enim barbari nonnun-
quam suis in scriptis voces torquere quasdam. Sed utcunque Lodovicum astutia ab
184 Ungaris victum ambo dicunt ac Ursprungensis in annis Lodovici Ticinensis libro
secundo capite primo et etiam secundo. Inquiet vero aliquis de gestis Frederici
Aenobarbi libro primo capite octavo Phrysingensem Germanum Lemanni fluvii
185 meminisse, quum ego superius dixerim Lemannum fluvium Germaniae esse
nusquam adhuc invenisse. Sed audiamus Phrysingensis locum: Conditio autem
pacis talis fuit, ut Bertolphus ducatum exfestucaret, sic tamen quum ei Turegum
nobilissimum Sueviae oppidum in faucibus montium versus Italiam super lacum,
unde Lemannus fluvius fluit, situm imperatorum seu regum Almi colonia fuit
tantaeque iuxta maiorum nostrorum traditionem auctoritatis, ut Mediolanenses,
si quando ab imperatore ad Transalpina vocarentur iudicia, ibi discuti vel iudicari
186 de iure deberent, unde ex eiusdem tam in rebus quam honoribus abundantia in
ipsius porta scriptum dicitur: nobile Turegum multarum copia rerum. A praedicto
etiam Lemanno fluvio, unde Lucanus: Deservere cavo tentoria fixa Lemanno,
tota illa provincia Alemannia vocatur, quare quidam totam Teuthonicam terram
Alemanniam dictam putant, omnesque Teuthonicas Alemannias vocare solent,
quum tantam illa provincia, id est Suevia, a Lemanno fluvio vocetur Alemannia,
187 populique eam inhabitantes solummodo vocentur Alemanni. Haec Phrysingen-
sis, sed videamus, cuius afferat auctoritatem, Lucani nempe libro, cuius versus
sunt:

Deservere cavo tentoria fixa Lemanno
Castraque, quae Vogesi curvam super ardua ripam
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

188 An hic de fluvio loquatur magis an de lacu, quaero, equidem Ravisius diligens
authorum excussor collectis sexaginta tribus epithetis fluminum cavi mentionem
nusquam facit, habet autem de lacubus inter reliqua illud Ovidii libro tertio Fa-
storum: Inque cavos ierant tertia musta lacus, idem de Lemanno laco loquens in-
ter caetera sic habet: Lemannus lacus est Galliae, per quem Rhodanus Ararim
deferens rapitur, is Helvetios a Gallia separat, suisque accolis Lemannorum indi-
189 dit nomen authore Sulpitio, ac statim Lucani auctoritatem subiicit. Limagus au-
tem fluvius Tigurinum praeterfluit, cuius etiam meminit Volaterranus et hunc, ut
Phrysingensis, sic alii quoque multi Alemannum vocitari crediderunt, quod Be-
belius negat multis onustus auctoritatibus, ad quem lectorem relego, ne huic rei

182 Germanis b Gemanis

190 diutius immorari cogar. Certe Spiegellius libro tertio Guntheri, Phrysingensi haud consentit, quum Lemanni incidit mentio, sunt vero haec carmina:

Qua sibi vicinas Alemannia suspicit Alpeis
Nomen ab Alpino ducens, ut fama, Lemanno.

191 Hunc potes, si vis, consulere, nam invenies nec a flumine, nec a lacu Alemanniae id nomen esse, sed a virili fortitudine, quasi diceretur All Mann, hinc illud Vadiani V. C. et vetustatis amantissimi in Orbis epitome: Alemanni collecticia Germanorum gens tum primum increbuerunt, quum manu collecta ad superiorem Danubii atque Rheni ripam consedissent; nominis ratio ex virtute ducta videtur eruditus, constat enim vocem vernaculam esse et plane Germanicam significans omnibus illos virili animo fuisse, qui ad hunc modum velut societatem pacti confluxissent. Nec Rhenanus cum Phrysingense convenit, sunt enim ipsius verba: De nomine vero, ut passim ineptiunt scriptores, dum alius a Lemanno lacu trahit prorsus alienam etymologiam, festivam alius ab ala magna, nonnulli a Lunnaha amne, qui e lacu Turigensi profluit, deducere sunt ausi, huius vocabuli etymologiam rectius explicat Asinius Quadratus, qui apud Agathiam collecticiam gentem fuisse testatur, quam rem ipsum nomen praeferat. Enimvero suspicor, quum Germani septentrionales Romanorum oportuniora loca occupare constituissent imitati priores Germanos, qui transito Rheno primi sibi hoc nominis indiderunt, et ipsi novo vocabulo se Alemannos appellarunt glorioso quidem nomine sed ferme debili miseris provincialibus, quod fortissimi bellatores essent et viri omnes, nam haec est huius vocis Germana interpretatio. Afferam huius rei simile exemplum, nostra aetate militum manus in inferiori Germania se diabolos appellarunt ad incutiendum terrorem iis, adversum quos mittebantur, vestes nigrae, hastae nigrae, vultus ipsi nihilo candidiores, et certe multis iuxta nomen perniciem attulerunt, donec crebris bellis consumerentur, non aliter ambitiosum hoc vocabulum collectio Germanarum genti fortunamque novam tentaturae placuit; et hactenus de nomine. Iam (opinor) vides de Lemanno fluvio apud idoneum authorem me nihil legisse, et Phrysingensem alias virum satis historiae (ut aetas illa dabat) accommodatissimum seipsum fefellisse, nec Lucanum recte intellexisse. Eram tandem oblitus Q. Parci auctoritatem ut gravem et verisimilem afferre, quae ita de Germanis honeste et diserte et etiam libere (si memor sum) disserens ad verbum aiebat: Nolo nescias gentes duas Europae antiquiores, quorum nomina vix originem habent, has esse Galla et Teuthona, etiam si qui a Teuth, de quo Plato nonnihil, deductum nomen putant, is qui fuit numerorum et caeterarum disciplinarum inventor, ob id, qui genti favent, putant sequelam suam Teuthonicam Teuth haud dissimilem, quum ingeniosi et habentur et sunt. Et se profecto res ita habent, nam typographicam illam artem divinam et diabolicam bombardicam mirabiles artes nonne ipsi Germani excogitaverunt? At de Gallorum ortu multum nugatur, minus tamen quam de Teuthonicis verum aliquid dici possit, quod non imputo paucitati scriptorum illius nationis (quum ipsi etiam ante Druidas polygraphi semper habituri fuere) sed diuturnitati potius. Ideo Teuthones Germani propter Gallos dicti sunt quasi Gallorum fratres, caeterum nomina Teuthonum sic variata sunt, ut primo Teuthones sint ab ortu si vis, deinde Germani Gallorum causa, tertio inclinante

199 Teuthonum b Teuthorum

- imperio occidentali Alamanni novo scilicet vocabulo et glorioso, quae autem
 200 bella conficiuntur absente Germano milite vel hac in imperii Romani senectute?
 202 Denominatio tamen Gallorum stabilis semper fuit, haec dicebat Q. Parcus, cuius
 opinio apud me locum habet. Utinam, quod scripsit, extaret! Iam habes lector, de
 Alamannis nostris varias opiniones, elige probabiliorem.
- 203 Pagina 152. versu 33 [1.10.133.]: „nos capite insanos“, haec ex libro secundo
 204 capite quinto Rerum per Europam gestarum Luitprandi Ticinensis sumpta sen-
 tentia corrupte hic legitur. Solet vero Luitprandus lascivire in historia ac modo
 carmen deinde solutam habere orationem, aliquando ita stylum parare, ut carmen
 claudicet aut prosa fluat laxius, unde non est dubium scribam ex *ἀπολογία* non
 recte descripsisse, quod Bonfinius suae inseruerat, quam commodissimae histo-
 riae sumebat, forsitan etiam aliquid sibi et quum plus solito hic flueret oratio,
 carmen esse credit at pro linguae libitu quaedam dimisit, id contraria inseruit,
 205 Luitprandi enim sententia sic habet: Si contraditum nobis praesertim a contraditis
 iamque canibus mortuis munus reciperemus foedusque aliquod iniremus, insanos
 capite non sanus iuret Orestes; alludit nimirum ad insaniam Orestis, quae quidem
 vindictae dulcedinem tamen agnoscebat, quanta, licet, esset, consilium enim
 Electrae, quod de occidenda Hermione erat, quum Menelaum in fratris con-
 demnationem consentiisse sciret, ut patruo molestiam afferret, probavit maxime,
 immo voluptatem ex eo capere se dicit Orestes, ut est apud Euripidem,
 206 *Θεοῦ λέγεις πρόνοιαν* et paulo post *Λέγ', ὡς λέγειν ἀγαθ', ἔχει τιν' ἡδονήν*. Sic
 Christiani, quum Ungaros, qui diutius Italiam expoliaverant, ad ultimam perni-
 ciam redegissent, omnibus se reputatos futuros credebant insaniores, si petitam
 207 illis pacem darent ac non prius vindictam de ipsis sumerent dignam. Sed hoc loci
 videre est, quam malum sit cum desperatis certare velle, meliorem consilio usus est
 Aristides, qui Xerxis fugam malebat quam desperati inclusionem, quem Narsetes
 sequutus victoriae confessionem satis putavit, et melius Italiae sese abdicantes
 Gothos illaesos permittere quam pugna pertinaci extremum cum desperatis inire
 praelium.
- 208 Item in ista pagina 152. at in 45. versu [1.10.138.] sic impressum est: „ut multis
 ientantibus in media gula transigerent“, tu sic legito: „ut multis ientantibus in
 209 media gula cibum transigerent“. Haec habet, ex quo id desumpsit author noster,
 Luitprandus libro secundo capite quinto, inquit enim: Hac itaque exhortatione
 utcunque animos recreati treis in parteis insidias disponunt Ungari, recta ipsi flu-
 vium transeundo hostes in medio ruunt; Christianorum enim plurimi longa prop-
 ter internuncios expectatione defatigati per castra, ut cibo recrearentur, descen-
 derant, quos tanta Ungari celeritate confoderunt, ut in gula cibum transfigerent,
 aliis quibusdam fugam equis negarent ablatis.
- 210 Pagina 157. versu 8 [1.10.223.]: „Ditissimum Ultae coenobium praedantur“.
 211 Passim omnes historiographi de excursionem crudeli hac conqueruntur Ungari, quo
 tempore etiam Basileam urbem celeberrimam devastatam ab iisdem Ungaris
 memorantur et Augustam, nullus vero in tanta copia extat, qui nodum hunc sol-
 vat, equidem neminem puto, qui locum, cuius Ultae sit appellatio apud veteres
 212 aut recentiores, mentio indicare possit celebrem. Unicus hic potest sequi Lam-

206 darent b daret

- bertus Schafnaburgensis Herueldensis monachus, qui in Historia Germanorum sic habet: Anno noningentesimo decimoquinto Ungari vastando Germaniam usque in Fuldam pervenerunt, is erat Conradi imperatoris annus quartus. Est autem monasterium Fulda et vetustate et fundatione (ut vocant) nobile, initium enim sumpsit anno septingentesimo quadragesimo tertio, ad Fuldam fluvium situm, qui iuxta Fridslar Edera in se sumpta ad urbem Mindensem Visurgo sese immergit, fuit autem et est ditissimum monasterium, cuius abbas in conventu episcoporum proximus archiepiscopo Moguntino solebat assidere, quae res inter Hildenheimensem episcopum atque Vidæradum Fuldensem abbatem Henrici quarti temporibus magnam excitavit seditionem, abbas enim, dum in alieno regno dignitati suae aliquid detrahi nollet, et episcopus intra suam dioecesin neminem ipso praeter archiepiscopum praeferrī debērī contenderet, cruento discernitur gladio, et sedes, pro qua certaverant, sanguine nobilium commaculatur; sed de his si quis cupit plus scire, legat Schafnaburgensem; sane sub Henrico quinto a Moguntino episcopo plurimum tulit mali, et (ut Ursprungensis verbis utar) locupletissimum illud et per totam Germaniam famosissimum ac principale monasterium Fuldense usque ad ultimam redactum est inopiam victus etiam necessari.
- 214 Decas haec prima capit primo geographiam non modo utriusque Pannoniae verum etiam circumvicinarum regionum, item Scytharum originem et chorographiam cum gestis et moribus eorum et caeterorum barbarorum, necnon de Gethis, praeterea quinquaginta septem Pannoniae comitatus distribuit, genealogiam quoque ducum et principum Pannonum in medium rite affert, Unnorum ingressum in Pannoniam et eorum duces et gesta tractat, Atilae historiam ample describit, et ne quid in illa desideraretur, curavimus (iubente tamen Brennero) Atilam P. Callimachi pro coronide huic volumini addendam, commutationem titulorum Ungariae notat, de Davis, Gothis, Longobardis, Francis, Vandalis et caeteris, ut interventus rerum dedit, dicit, de Mahumeto quaedam, de Romanis quoque obiter scribit, complet denique omnes praefectos, duces et principes Pannonos non Christianos, nam reges et religionem Christianam sectantes et certas Ungarorum sedes capiunt sequentes libri. Finis.
- 216 In secundam decadem Bonfinii annotationes Ioannis Herold Acropolitani.
- 217 Pagina 182. versu 30 [2.1.288.]: „unam Moguntiae ex palea, alteram Mediolani ex ferro confectam“, hic locus, ut ex Blondo, quem iam sequitur Bonfinius, exscriptus est, ponatur. Sunt Blondi verba: Hoc primum in loco tradi invenimus, quod supra, ubi de sanctione imperatoris deligendi scripsimus, desideratum a nobis fuisse non dubitamus voluisse sive pontificem Gregorium quintum sive Othonem primum sive primos imperatori deligendo constitutos electores, ut is qui caesar in Germania declaratus Romam venisset confirmandus, duas medio itinere coronas acciperet, ex palea unam Modoetiae, ex ferro alteram Mediolani ab archiepiscopo imponendam, quod quidem ad tempora nostra usque servatum videmus. Aurea bulla Caroli tantum tres enumerat coronas, eam scilicet, quam
- 219 Aquis statim ab auguratione accipit, Mediolanensem et Romanam, unde Ligu-
rinus, qui gesta Frederici primo carmine descripsit, coronarum trium tantummodo facit mentionem, et de Aquisgranensi corona sic scribit:

Inde per Arduennae saltus pervenit ad illum
Usque locum, cui nomen Aquis posuere priores,
Hoc ubi primo loco veluti cunabuli regna
Carolus esse volens magno cum Francia regi
Utraque serviret, primam gestare coronam
Iussit.

- 220 Sic primam coronam Carolus, qui multis seculis praecessit Othonem, Aquis voluit imperatorem electum accipere, sed quidam ponunt eam argenteam esse, quam noster princeps et imperii rector fortissimus Carolus quintus anno millesimo quingentesimo decimonono accepit, Spiegellius vero in Ligurini commentariis
- 221 eandem ferream quoque dicit, cuius sunt verba: Ter caesarem redimiri diademate tradunt pontificii iuris enarratores, primum Aquisgrani ferreo, quo Francorum, hodie Germanorum rex designatur, deinde Modoetii oppido Longobardiae in aede Divi Ioannis Baptistae magno excitato opere thesauroque immodico locupletata Longobardorum regum magnificentia itidem ferreo diademate, postremo Romae a pontifice maximo corona aurea cingi, quarum demum omnium Christianorum imperator et Romanorum princeps pronuntiatur. Extat etiam locus apud Irenicum, qui corona ferrea redimiri imperatorem dicat Aquisgrani ab
- 222 episcopo Coloniensi, citat Glos. in cap. Romani, de iureiur. in Clement. Spiegelius citat Sabellicum, cuius verba sunt Enneade nona libro secundo: Fuerat ea in sanctione imperatoris creandi diserte scriptum, ut imperator in Germania creatus, quem Romam veniret imperii insignia assumpturus, Modoetiae coronam acciperet ex palea contextam, alteram Mediolani ferream, qui mos in posteris transiit, qui quidem Blondum est sequutus; caeterum Blondus in libro Illustratae Italiae in descriptione Lombardiae ita habet: Superius Modoetia nobilissimum totius Lombardiae oppidum, in quo servat absurda consuetudo ab trecentis annis introducta caesares Germanos corona ferrea in Romanos reges imperatoresque insigniri, Volaterranus Geographiae libro tertio in Transpadanae regionis descriptione inquit: Ab latere occidentis oppidum alterum etiam novi nominis Medoetia, in quo caesares diademate primum ferreo redimiri consueverunt iam a quadringentesimo annorum consuetudine. Albertus Crantz libro quarto capite trigesimo septimo inquit: Constitutum erat, ut qui coronandus in urbem imperator veniret, duas in medio itinere coronas acciperet, ex palea primum Modoetiae, ex ferro autem alteram Mediolani ab archiepiscopo imponendam, quod ad tempora usque
- 226 nostra servatum videmus. Kobelius Oppenheimensis archigrammateus tres ponit coronas tantum, quanquam ferream Aquisgrano, argenteam Mediolano attribuit, in quo primo bene sentire Crantzius habebit (si recte intelligitur) testem, subdit enim statim, postquam superiora retulit: nisi quod primam accipit Aquisgrani ibi rex consalutatus, de altera Modocenses cum Mediolanensibus disceptavere, ergo tantum Mediolani coronatur secundo et ferrea corona, quod olim consuetum erat fieri Modoetiae; Moguntiam pro Modoetia habet Kobelius; id novum est nomen Modoetiae, cui subscribit septimo libro De vicecomitibus Merula, ubi libenter ponit Mediolanensium et Moguntinensium. Inquit enim: interea Moguntiaci ad Henricum gratulatum venire, intelligere sese debito et vetusto honore fraudari, caesares recentiores reges demum appellari, si opulentissimi regni insignia in aede Baptistae Ioannis sumpsissent, aedes manet preciosis ornamentis et thesauro ditissima; Carolus cognomento Magnus Francorum rex Desiderium debel-
- 227

lavit, tertio illo titulo non prius designatus fuit, quam regnum Longobardorum adeptus est, extant adhuc apud nos privilegia et diplomata sub hac inscriptione: Carolus divino suffragio Francorum Longobardorumque rex ac Romanus patricius; lege pontificum decreta, si vana non sunt, profecto invenies regni Longobardorum appellationem patriciatu Romano et imperatorio nomine priores fuisse, caeteri quoque caesares deinceps hoc titulo ornati fuere indignissimum est profecto et (ut liberius loquamur) legitimus ille non erit imperator, qui coronationis ordinem perturbaverit. Vetus est consuetudo a caesaribus servata, cur nos hoc honore et veluti iure fraudas? Nihil ad haec Henricus, verum ut inani quodam honore dignatos Moguntiacos reconciliaret, ius coronandi restituit, quod beneficium haud gratuito fuit, quinque milibus aureorum privilegium eos redemisse constat. Haec ille de Moguntiacis, iam lis describitur Mediolanensium. Superbe respondet ingratos esse homines, qui caesaris beneficia non agnoscant, qui domestica arma sustulerit, civitatem quietem reddiderit, suprema dignitate illustraverit, quod Mediolani potius quam Moguntiae ferreo diademate insigniri voluerit, reclamabant cives insignia regni illustriora et caesari amplissima inter Longobardos Mediolani potius quam alibi regio nomine insigniri. Iam (ut opinor) facile apparet Blondum in Historia inclinati imperii ac Sabellicum errare cum eis, qui illos sequuntur, quum enim de itinere loquuntur sic accipiendum. Quum solebant electi in Germania imperatores statim Aquisgrani coronari, Italiam mox aggredi, res in ea novatas pacare et duas petere adhuc reliquas coronas, antequam Romam venirent, etiam continuato itinere Aquisgranum addiderunt, quum vero modo Modoetiae modo Mediolani infertur mentio, quod uni vel alteri urbi tribuendum erat, dederunt ambabus. Paleae autem, quod dirimat, negocium est, si reponatur chalybea, cuius quidem testem habeo oculatum Henricum Cornelium Agrippam a Netesheim, is in libello Quomodo Carolus caesar in Longobardorum regem coronatus est inter caetera sic scribit: Rursusque procumbens ingenua coronam, quam vocant chalybeam, pontifex non absque solennibus caeremoniis capiti eius imposuit, regemque Longobardiae pronunciavit; vides iam Cornelium ut iurisconsultum loqui et chalybeam, quam illiterati librarii, quum vocabulum non agnoscerent, facile in paleam detorquerunt, nominari? Non desunt, qui rationes uniuscuiusque coronae attulerunt, argenteam scilicet puram ac synceram vitam testari, ob quam ab imperii proceribus in regem assumptus ac electus sit sincero atque puro animo, ferream dari propterea, quod Longobarda gens bellicosa sit, quae iuga pati non velit, et nisi ferro domari et in officio contineri non possit, auream autem monarchiae Romanae assimilant, metallum enim hoc ut caeteris omnibus preciosius, sic regibus et magnatibus hunc praecellere ac numeris ipsum esse omnibus absolutum debere, quemadmodum toties purgatur aurum, ut de se legitimam reddat aestimationem. Ferreae vero coronae morem aliter explicat Merula Vicecomitum libro secundo, quod ut quid de hac inveniatur apud authores, in promptu habeatur, addam: Occidentale (inquit) imperium a Carolo Pipini filio post extinctos Longobardorum reges coeptum satis inter omnes constat, qui multarum gentium victor tunc demum imperio dignus haberi potuit, quum eam Italiae partem subegit, in qua regia sedes fuisset, ergo populi regio assueti more peregrina imperia haud pati nisi apud ipsos si non regum saltem regiae dignitatis species aliqua mansisset, ut parere magis quam servire viderentur, profecto enim tunc gravis et intolerabilis servitus et infensi domino populares, ubi nec in consilium nec in partem dignitatis et publicorum commodorum admittuntur,

- 237 sed velut victi superbe praetereuntur et parum necessarii negliguntur. Externi itaque reges, quum in legitimi regni titulum tum, ut alioqui contumaces animos mollirent, Italiam ingressi Mediolanum primum divertebant, ubi plausu et laetitia gratulantis populi excepti ferreaque insigniti corona iam caesares facti urbium primores aut donis locupletabant, aut praefectura et nova dignitate decorabant, aliis immunitates et privilegia largiebantur, qua caesarum liberalitate atque munificentia nostri populi illecti et si peregrini reges raro in Italiam venirent, tamen quum se honoratos et a dominis benigne amplexos viderent, minime novandarum rerum consilia inibant, sed sub externo regno fidem ac officium colebant, et quamvis in urbe odia crescerent cunctaque a capitaneis repugnante plebe agerentur, tamen adveniente caesare a certaminibus et civili bello urbs temperabat; ergo tum deliniendae multitudinis gratia et, ut infensum minus regnum foret, tum simulachro veteris imperii Mediolani atque interdum Moguntiae ferreo ornato iuste imperatori decorantur. Haec ille, et quum in ultimo versu sic legatur „interim Moguntiae“, error est. Sic, quae de coronatione imperatorum tradant auctores, habes hic, unde facile videre potes sic esse legendum: „Duas prius, Aquis unam, in itinere alteram Modoetiae chalybeam vel Mediolani, id est ex ferro confectam.“
- 238
- 239
- 240 Pagina 190. versu 45 [2.2.36.]: „Byzantium, quod est Burgundiae oppidum“; Vesontium hanc esse urbem nemo negat Caesari Vesontio vocatam, de qua apud
- 241 eundem sic habetur: Quum tridui viam processisset, nunciatum est ei Ariovistum cum suis copiis ad occupandum Vesontionem (quod est oppidum maximum Sequanorum) contendere triduique viam a suis finibus processisse, id ne accideret, magnopere praecavendum sibi Caesar existimabat, nanque omnium rerum, quae ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas, idque natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem propterea, quod flumen Alduasdalis ut circino circumductum pene totum oppidum cingit, reliquum spacium, quod non est amplius pedum sexcentorum, qua flumen intermittit, mons continet magna altitudine ita, ut radices eius montis ex utraque parte ripae fluminis contingant, huc murus circumdatus arcem efficit et cum oppido coniungit. Haec Caesar, Marlianus vero de Vesuntio ita scribit: Vesuntio oppidum maximum Sequanorum natura loci munitum inter Celtas nunc comitatu Burgundiae circumseptum civitas est imperialis ac metropolitana nomen retinens mutata litera v in b, ut Romanis et Vasconibus pronunciandi mos est, situm habet, qualem Caesar in Commentariis descripsit praeterquam, quod nunc eam idem fluvius ex magna parte intersecat, in illa sunt loca vetusta, qualia Romae, quae Pantheon, Campus Martius Campusque Minervae vulgo semper latine sunt dicta,
- 243 multaque alia priscae vetustatis monimenta consistunt. Sed quum fluminis Alduasdalis hic fit mentio, quae ipsi vidimus, et quae idem Raimundus dicat, explicabimus. Nuper tertiadecima Calendis Maii, quum Burgundiam intrassem, amicorum visendorum gratia Nozeretum veni, quo oppido vix vidi situ amoenius aliquid, id enim colli impositum umbilicum agnosceres Burgundiae, nam quantum circuitus tantum habet et planiciei reliquum in valles ab omni plaga orbis declinat.
- 244
- 245 Sunt aedes ibi principis amplissimae quadrato lapide constructae, quanquam ob mortem ducis atque haeredis absentiam non admodum ornatae, quum alias aedificio sint superbissimae, visuntur tamen cubicula nonnulla, in quibus peripetasmata et aulea reposita sunt, quae ut viderem, praefecti arcis uxor et venustate ac gravissima quadam amabilitate praeclara foemina nobis obtulit copiam, et iuvat

profecto vidisse, nam inibi et libri permulti erant ostro holoserico cooperti ac in
 pergameno scitissime characteribus descripti, erant autem auctores boni, ex
 quibus Philibertus imperatorium officium, quod deinde apud Carolum quintum in
 246 expeditione Neapolitana exercuit, tam probe didicit. Ipsa civitas ita pulchre con-
 structa existit ubique, ut nullius privati insulam sed magnatum iurares unam-
 quamque domum, inter quas primas tenet, quam sumptibus aedificavit propriis
 Odothus Regulus vir non magis militari arte quam utriusque linguae peritia cla-
 rissimus immo foelicissimus, cui ut olivae mensam circumdant masculi filii sex,
 247 quorum quatuor sub ferula Gilberti Cognati sunt. Habet hoc oppidum ornamentum
 suum nostrum patronum Cognatum et alit non procul abinde in loco amoenissimo
 fortissimoque prognatum Cornelium Frantinum Gilberti laborum socium
 unicum, est et Stephanus vir *ἀπαθής*, Ioannes et reliqui fratres, Tornondi proles
 foecunda et beata, qui quanta me laetitia exceperunt, huius loci non est explicare,
 equidem nec tempus nec ingenium fert; genitor, mater, fratres, sorores denique
 Gilberti, qua urbanitate mihi per decimum inservierunt diem etiam renitenti,
 248 pudet fateri. Sed quum interim loca Burgundiae visere decrevissem et Salinensem
 urbem salis quoque coquinas perlustrassem, dominum Ioannem Sachetum ipsam
 gravitatem episcopi Atrabacensis praeceptorem, item deinde Philibertum a Rye,
 quo homine latinius aliquid vidi nunquam, virum, nescio, an apud caesarem an
 apud pontificem Romanum maioris existimationis salutassem, tandem comite
 Cornelio Frontino, Ioanne Tornondo ac Virunio Gilberti discipulo ad ortum Al-
 249 duasdalis descendi. Est ad secundum lapidem a Nozereto mons quidam, qui Sy-
 rodo imminet, is sinuosos habet receptus nonnullos, inter quos primus flumen hoc
 effundit ad hunc modum, postquam descenderis, est specus latitudine forsitan ad
 passum decimum, huic rupes horrendae imminet, ac per gurgitem altissimum
 tanta aquarum copia ebullit, ut statim in ipso ortu (dictu incredibile) flumen na-
 vigiis, si ob saxos, per quos devolvitur, liceret, satis capax esset, ausim iurare plus
 aquae ex ista voragine erumpere, quam vel Lycus in Danubium vel Arula in
 Rhenum defert, is, ut Marlianus dicit, Gallice vocatur Le Doux, Byzuntiam ur-
 bem, postquam Montem Bellicardi perluit, intersecat, tandem circa Viredunum
 castrum non longe a Cabilonensi urbe Arari fluvio (quem nunc Sagonam vocat
 vulgus et Gallice La Saune nuncupatur) blande miscetur.

250 Pagina 197. versu 17 [2.2.183.]: „more suo iacet hic“; huius cadaveris meminit
 etiam Nauclerus secundo Chronographiae volumine generatione trigesima sexta
 et Volaterranus libro Commentariorum trigesimo tertio inquires: cuius cadaver
 Henrici tertii imperatoris tempore prope Romam villicis fodientibus repertum
 tantae magnitudinis, ut moenia adaequaret, cum maximi vulneris cicatrice atque
 hoc epigrammate; recitat nunc carmen ac dicit: autor Martianus in Chronicis, sed
 tu lege, quemadmodum olim in meo, quod Volaterrani habeo, exemplari, si
 memoria non fallor, ex Antonini Chronicis restitui:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
 Militis occidit, mole sua iacet hic.

251 Versus quis condiderit, ignotum esse autumat Nauclerus, redolent autem recen-
 tioris cuiusdam venam, unde multum fidei non adhibeo historiae, nec admodum

250 cum b quum

- 252 versificatoris carmen multum laudo. Equidem quid, si „more suo“ legatur, ex hac sententia elici possit, non video, sed „molem“ omnes sciunt pro re magna ac magni ponderis sumere.
- 253 Pagina 202. versu 20 [2.2.299.]: „quarum alteri Guilielmus, Pothus alteri
254 praefuisse fertur“. De hac re, qui tunc vixit, Schafnaburgensis scribit ita: Mille-
simo sexagesimo primo Andreas rex Ungarorum videns Belem quendam propin-
quum suum regnum affectare et Ungaros a se paulatim ad eum deficere, uxorem suam et filium Salomonem, cui imperator filiam suam parvulo parvulam desponderat, cum multis opibus ad regem Henricum transmisit petens, ut et sibi misso exercitu subveniret et suos, donec rebus tranquillitas redderetur, servaret.
- 255 Rex Guilielmum marchionem Thuringiorum et Epponem Citicensem episcopum cum duce Boemorum et exercitu Bavarico illuc misit, sed marchio et episcopus priores Ungariam ingressi non expectato duce Boemorum cum Bele signa contulerunt atque infinitam multitudinem Ungarorum peremerunt, deinde quum ex omni parte Ungari ad ferendum suis auxilium frequenter confluisissent, videntes missi regis tantae multitudini se numero et viribus impares esse, finibus hostium excedere volebant, verum illi loca omnia, per quae exitus esse poterat, occluserant, tum ne quid cibi aut potus in via repperiretur, providerant, quumque insuper abeuntes crebra incursione infestarent, et illi semper periculum virtute propulsantes magnas hostium strages darent, tandem diuturna caede exhaustis viribus Andreas equo forte excussus pugnantium pedibus est conculcatus, episcopus captus, marchio fame magis quam ferro expugnatus se dedit, cuius virtus tantae admirationi apud barbaros fuit, ut Ioas filius Belis pro illius tum gentis moribus haud desperatae indolis adolescens ultro patrem exoraret, non modo ut eum belli iure intactum sineret, sed etiam ut affinitate sibi iungeret desponsata ei filia sua
- 256 sorore Ioiade. Haec, ut Bonfinius rectius intelligatur, visum est addere.
- 257 Pagina 212. versu 19 [2.3.203.]: „ad Hoestettensem pagum Danubii dimicantur“. Quanquam nihil erroris hic mihi appareat, nam quod Ursprungensis Hoensteinensem ponit, manifestum mendum, nullum enim in ripa fertur Danubii oppidum eiusdem nominis, cuius verba sunt: Anno millesimo octuagesimo primo tertio idus Augusti bellum inter Alamannos et Baioarios iuxta Danubium apud Hohenstein commissum est, ubi Palatini comitis Cuno filius occisus est; meminit et huius belli, sed locum non tradit Crantz libro quinto capite undecimo Saxonicae historiae. Ego quidem, quum patriae mentio forte fortuna incidit, cui a deo omnia
- 258 debeo, iniquum ratus sum silentio eam praeterire omnino, nam etsi dissimularem et id Teucrici afferre vellem patriam esse, ubicunque bene est, homini, haud immerito quis illud Euripidis occineret:

— ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει

πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας, ὅς δ' ἄλλως λέγει,

λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει.

- 259 Caeterum a quo haec sit commissa pugna, semper Bavariae in ducum fide per-
260 mansit, ac hodie sub Henrico Othone Palatino principe illustrissimo floret. Sita est ex una parte in ripa Danubii, alteram abluit fluvius Ferrabach vocatus, quem non procul ab oppido in se recipit Danubius, Verdeam oppidum interiacet et Di-

255 Bele **b** Belae / illi loca **b** illo loco / diuturna **b** diuturnis / admirationi **b** admirationis / modo ut **b** modo

lingen divi Udalrici patriam haud inamoena situ, equidem fluviolo scinditur medium, quum collis reliquam suscipit partem, habet regionem circa frumento et esculentis frugibus pinguisam, vinum aliunde convehitur maxima copia; est populus in ea simplex, laboriosus, hospitalis ac humanus, quingentos forsitan homines nutrit; senatus, quae in urbe, quae extra urbem, praeses principis disponit, sed omnes causam in urbe dicere et purgare sese coguntur; est arx, quae extremae urbi adiacet et urbis et regionis custos, quae principis tutela munitur aut comitis alicuius; piscibus optimis abundat, carne item. Ludum literarium habet, 261 cui semper in omnibus disciplinis duo praesunt viri et docti iuxta ac pii, ibi et civium et finitimorum solet instrui pueritia, ubi saepe viri docti a teneris se imbutos ita esse confiteri coacti sunt, ut deinde facilius studiorum bonorum famam consequerentur, e quibus non immerito celebratur Uldaricus Tengler, qui Graecolatino sibi finxit patriae nomen, Altipolitanus, qui anno ab hinc trigesimo Speculum iuris aedidit, id est ius omne municipale illustravit, dedit etiam Christophorum iurisconsultissimum virum huius filium; et ni fallor, vivit adhuc Udalricus Tengler militiae decus regi Ferdinando invictissimo charissimus, qui Graetzensteinio praesidet ac contra Turcas indies molitur aliquid. Haec nobis natalem dedit sextodecimo Calendis Ianuarii a nato Christo anno sesquimillesimo quintodecimo, 262 quo deinde anno avus maternus Andreas Beyss consul urbis moritur. Huic si qua pietas pro ortu debeo, quicquid ingenium suppeditat, et cuius in descriptione, quum iam videor (quam decebat) brevior, quumque negocium hoc prolixitatem nullam ferat, proxima occasione deo dante plura in lucem me daturum profiteor. 263 Quod vero Acropolitae nomen finxerim, id tantum dicendum videtur eo factum, ut integra esset sincera dictio Graeca, etsi ἀκρόπολις pro arce nunquam sumatur, quum ἄκρος altus etiam apud eosdem dicitur, quumque πολειον aut πόλις oppidi vel urbis appellatio notior sit, quam hic a me declarari debeat, nec iactare me Graeco nomine volui, quasi literarum Graecarum omnino essem peritus, summo cum dolore eas ferme me ignorare fateri cogor, at hoc in usu habeo, ne quando male translata pro genuina sententia, cui tradantur Graeca latinis intermiscere, ut ex veris fontibus doctiores hauriant veros latices; mihi 264 enim nihil sumo, deus scit, nec in una nec in altera literatura. Sed de patria nostra iam satis, quae si splendoris aliquid addit, non omnino ignobilem nec hodie enatam vides, quippe quae ante quadringentesimum sexagesimum primum annum floruit pagi nomine, quo vel Ulma iam Suevicae gentis decus vix octuagesimo octavo antea anno celebrata fuit, licet quidam dicant Antonini Itinerarium Ulmos habere, forsitan et haec nomen tunc temporis habuit, nobis iam ignotum. 265

266 Pagina 220. versu 15 [2.4.22.]: „succurrebat Guilielmum, Potum ac nuper Marchardum legatos legionum“, tu lege: „Succurrebat Guilielmum et Epponem ac nuper Marquardum legatos legionum“, prius enim diximus Andreae regi in auxilium missum esse Epponem Citicensem episcopum ac Guilielmum marchionem Thuringiorum, illos devictos et precibus Ioiadis, quem Ungari Geysam dicunt, a patre ipsius Bela liberatos fuisse, ac filiam marchioni matrimonio copulasse. 267 Is vero anno millesimo sexagesimo secundo, dum sponsam suam ex Ungaria cum magna opum suarum ostentatione adducere pararet, inter eundem secunda mansione morbo correptus, et Udalricus Carentinorum dux sponsam accepit. 268 Miserat autem Henricus deinde Marquardum ducem Carnotensium (de quo etiam mentio fit supra 213. pagina versu 27.) sub nomine Marcarthi Salomoni, qui praeter preces atque affinitatis commemorationem tributum datis obsidibus (ut

Lambertus habet) duodecim et sex munitissimas Ungariae urbes offerebat, quibus pollicitis redemptus, quum caeteri principes auxilia negarent, gregario milite stipatum Marquardum misit, qui ingressus Ungariam ac ad ultimum certamen redactus poenam consilii dedit temerarii.

- 269 In eadem pagina ac in versu 23. [2.4.25.] legitur: „manum animo consertum
270 eum aspexisset“. Gellius libro vigesimo capite nono quendam Romae interrogans grammaticum, quid ex iure manu consertum, id se nescire fassus est, Bonfinius, qui ceu naevos aliquos faciei pulchrae, quo venustior appareat, suis scriptis nonnunquam vel minus recepta latinis auribus vel antiquitatem redolentia obsoletam infulcire animi gratia solet, unde legendum arbitror: „Quum obstinato manu animo consertum eum aspexisset“, ut sensus sit, „quum obstinato animo regno, quod sibi deberi contendebat, exutus imperium eiusdem pugnando vellet recuperare“, quum facile quis posset „manu consertum“ pro „inita pugna“ accipere.
- 271 Apud Gellium Ennius significare volens bellum non, ut ad praetorem solitum est, legitimis actionibus, neque ex iure manu consertum, sed bello ferroque et vera vi atque solida, quod videtur dixisse, conferens vim illam civilem et festucariam, quae verbo diceretur, non quae manu fieret, cum vi bellica et cruenta; Ennii autem versus sunt:

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Haud doctis dictis certantes nec maledictis
Miscent inter se inimicitias agitantes,
Non ex iure manu consertum sed mage ferro
Rem repetunt regnumque petunt, vadunt solida vi.

- 272 Ita iuris vocabulum quam militiae magis censi potest, nam eandem habere significationem quam „in manum convenire“ credo, quod apud Ciceronem videre est in Topica ad Trebatium, ubi de iis loquitur, quae a forma generis traducuntur, inter alia habet: si ea in manum viri non convenerat, et pro Flacco: in manu (inquit) convenerat, quod Boetius de coemptione nuptiarum intelligit, quae certis solennitatibus peragebatur, quum reciperetur libera in matrem familias, consule Commentariorum librum in Topica.
- 273 Pagina 222. versu 10 [2.4.63.]: „caesar suorum consilio deceptus“; Schafnaburgensis ita habet: Rex comperto, quod Salomon rex Ungarorum a Ioiade Beli filio bello impetitus et tribus iam praeliis victus amisso exercitu vix de regno effugisset, ut eius miseriae subveniret et affinitati praestabat, quam tradita illi in coniugium sorore sua contraxerat, et utilitatibus propriis, quia magnam regni sui partem pollicitus fuerat, si eius beneficio expugnatis hostibus in regnum restitueretur, quumque Ratisponam venisset, insequuta est eum legatio familiarium eius nunciantes, quod Guilielmus cognomento Bostar rex Anglorum ab archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectus magno cum exercitu adveniret regni sedem Aquisgrani occupare paratus, territus ex tam atroci nuncio at privatae rei curam externis negociis antehabendam ratus ommissa in Ungaria expeditione ad Rhenum concitus remeavit.
- 274 Pagina 241. versu 41 [2.5.181.]: „legati, ut ipsorum annales referunt, Vitalis, Phaledrus, Iustinianus, Marimieus, Maurozenus scriba“, lege ita: „Vitalis Pha-

271 agitantes **b** agentes / regnumque **b** regemque

273 Pagina 222. **b** Pagina 220. / Coloniensi **b** Colomensi / Ungaria **b** Ungariam

ledrus, Ursus Iustinianus, Marinus Maurocenus scriba“, tres solummodo numera in hac legatione, sola distinctio superflua ex uno homine duos facit; sic habent omnes, praesertim Sabellicus De rebus Venetis decade prima libro sexto capite secundo.

- 275 Pagina 242. versu 3 [2.5.186.]: „neque nos latet, te non magis alios, quam te ipsum vincere didicisse, quod et in clarissimo quoque rege, potissimum pro retinenda Dalmatia utrique certavimus; sed diversae utrisque fuere causae, nos amplificati imperii iura retinere, vos antiquae societatis libertatem tueri perrexistis“; repone hoc modo et melius erit: „Neque nos latet, te non magis alios, quam teipsum vincere, didicisse, quod et in clarissimo quoquo rege potissimum; pro retinenda Dalmatia utrique certavimus, sed diversae utrisque fuere causae, nos amplificati imperii iura retinere, vos antiquae societatis libertatem tueri perrexistis“; sententia alioqui minus clara esset, nam distinctio praepostera obscurionem nobis
- 276 reddidit locum. Auream et omnibus vere doctis (ne dicam, et evangelicis) tritam Platonis sententiam attulit Bonfinius noster, quae est: pulchrum genus victoriae seipsum vincere; ex libro De legibus primo apud Platonem sic legitur: τὸ νικᾶν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτῃτε καὶ ἀρίστη, τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸ ὑφ’ ἑαυτοῦ
- 277 πάντων ἀσλιστόν τε ἄμα καὶ κάκιστον. In melius proficere est seipsum vincere, utinam quilibet in se descendere posset, ut sua ipsius vitia cuiquam magis nota essent! Ipsi philosophi ethnici sancte loquuti sunt, quod vitia naturae innata tolli debent, at quo pacto aut qua potestate eradicanda sunt, nunquam illis in mentem venit, aut si venit, vel non potuerunt, vel non ausi sunt (ut nunquam non fert seculi diversitas) scriptis mandare suis. Item ubi impressum est „quoque“ coniunctive, reponendum est „quoque“ relative, nam iam praecedit coniunctivum „et“ in ipsamet sententiola, quoniam latina loquutio est haec trita et hoc in loco aptissima, „quod et in clarissimo quoque rege potissimum“, ac si diceret, „quae virtus moderationis si omnibus hominibus perpulchre quadrat, eo magis cuicumque regi praesertim clarissimo, ut tu es“. Is autem noster Bonfinius, si tam in historiis ac in orationibus valeret, non putarem nobis extare illi secundum, ita ornate, ample et absolute veri legati officium praestat, ut non modo in hac Ursini Iustiniani oratione pro Venetis ad Colomannum sed in omnibus caeteris videre licet. Historiarum vero scriptores ius publicum sibi fecerunt, ut pro suo quisque ingenio affingere non, quod dictum est, sed quod quam accuratissime dici potuerit, id autem coniectant partim ex qualitate personae, quam faciunt aut sustinent, loquentem, partim ex ipsius rei circumstantiis, quemadmodum in concionibus foelicissimus est T. Livius.
- 282 Pagina 245. versu 23 [2.5.259.]: „imperator igitur Almi precibus motus“ etc.
- 283 Trithemius huius expeditionis mentionem facit Chronicorum libro, cuius verba adscribere placuit praesertim, quum rem paulo aliter transactam innuunt: Anno domini (inquit) millesimo centesimo octavo rex Henricus Moguntiae natalem domini celebrans eo tempore orta simultate inter Colomannum regem Pannoniae germanumque eius vocabulo Almu eo, quod uterque sibi potius regiam competere dignitatem iure gentis illius contenderet, spoliatus tam rebus quam ducatu, quo inter Ungaros clarus et, ut decuit, fratrem regis a rege secundus claruit, Almu regem Henricum adiit, et in auribus totius senatus haud secus quam ille quondam Adherbal miserias suas deplorans Romani imperii magnificentiam in

283 totius **b** tutius / quondam **b** quendam

compassionem et defensionem sui flectere curavit; his querelis motus rex Henricus insuper etiam, quod idem Colomannus fines regni vestri, scilicet in locis maritimis, evaserit, Ungariam exercitu petit, sed praeparatis multiformiter adversariis maximeque per obstructa fluminis undique vada post morosum et cassam obsidionem castris Bresburg pene macte cedit. Naclerus volumine secundo generatione trigesima septima pacem inter fratres Henricum composuisse affirmat. Licet paululum praeter institutum longius divagare, quamvis non omnino sit a re alienum; quum cogitavi de chronologia in hoc opus aedenda, sperabam plus mihi temporis aliquantulum futurum, at spe frustratus impolitam etsi veram coactus sum emittere, nam mihi erat animus distribuendi illam per annos, ut divus Eusebius primo fecit et Henricus Glareanus poeta laureatus vir in encyclopaedia mire versatus Helvetiorum decus in suum Livium fecit, nihil postea minus cogitans, quam de annotationibus aliquid scribere, tandem impulit me ad hoc sola lectura huius historiae videns Bonfinium nihil aliud ferme egisse (demptis orationibus, in quibus, ut dixi, quam plurimum potest), quam de Pannonibus hincinde scripta avide et concinne in unum corpus formare. Quid ultra fecit Livius, si Antiatis et caeterorum auctorum nomina immo et praefationem suam legisti; tandiu vivunt homines, ut regni ortum et tenorem teneant? Ideo membra videns vertebra (ut medice loquar) dignovi ita factum, ut illa aliquantulum declarando ductus sum ad prolixiorem laborem, quam sperabam, nimirum si vellem satisfacere studiis, haec temporis summa angustia nullo pacto ferre posset lucubrationem nostram, tamen ne omnino nihil dicam satius duxi aliquid scriptitare potius quam scribere. Utinam iniquus lector, si quis fortasse talis futurus est (quod non reor), vidisset exemplar nostrum unicum tam pulchre barbaramente scriptum, quam turpe latine ornatum, crebre sed confusissime distinctum, nomina propria minusculis, appellativa maiusculis coepta, orthographia vero haud minus pulchritudini quam Livianae nomenclaturae respondebat, de appellativis adhuc loquor, nam conduplicatas literas, ubi unica satisfaciebat, et saepe omissas varieque interpositas licuisset ibi videre. Quid plura? Dixisses omnino data opera barbarissime scriptitatum fuisse, etiam ubi necessarium fuerat, modum servasse deprehendimus auctum compositorum et castigatori negotium, videlicet in nomenclaturis, quis enim nescit nervos historiarum nomina esse? Attamen fluviorum, insularum, urbium, montium, fontium, hominum, arcium et regionum nomina totiens variebantur, quotiens de illis mentio fiebat. De quibusdam apiculis dictionibus suppositis, ut non diu est, quod usui sunt literis Romanis, sic etiam scriba barbarus calamo ducere nunquam tentavit, sed hoc cum variis erratulis minimum fuit, nam non modo syllabae passim deerant, verum etiam verba quam plurima, quibus restituendis non Oedipo sed prototypo aut potius auctore ipso saepissime iudicatum est opus fore, quamvis noster Brennerus iam multa, quantum per ocium sibi ante licuerat, restituit. Unum tamen miror in tanta manuum turba, qualis fuit in nostro unico exemplari, nullam inventam, quae socio verecundiam inscitiae aliquam afferret, ita ex aequo docti omnes erant. Verum haud certe dubius sum, quin plura ex prototypo transcripta sint exemplaria, neque puto Michaellem Ritium purum habuisse quamvis Italus ut Neapolitanus et olim Ungaris subditus, nam mendum ut minimum quinque sequutus est, de Bancbani uxore non puto, verum de regum dinumeratione et nomenclatura, ut statim palam fiet his, qui attente historiam hanc Bonfinii nostri cum Epitome Michaelis Ritii antea impresso collaturi sunt. Si quis bonus genius revelaret alicui aliud latens exemplar, vellem illum iterum atque iterum

- exoratum, ut rei publicae literariae amatoribus communicare libuisset, illo pacto quis scit, an supervacaneum esset operam nostram posteris deinceps ultro exagitare, sin minus, est adhuc animus nostra et expolire et augere, interim, ut semel finiam, etiamsi temporis angustia me urget, volui historiam planiorem et puriorem reddere, sed quum alias quam deliberatum fuerat (ut paulo ante audivistis), chronologia et annotationes exire debent, contrariis rebus diversa spe deceptus vellem prorsus, ut bono et aequo animo aequus etiam lector ista non gravi sed leni censura notaret. Iam de his satis, respondeant saltem lectores conatibus nostris.
- 296
297 Pagina 252. versu 33 [2.6.119.]: „eius mortem sedente Henrico secundo pontifice maximo“, lege „Honorio secundo“, nam qui Henrici appellationem habuisset, non extat papa in omnium scriptorum annalibus, sed Honorius tunc temporis floruit.
- 298 Pagina 254. versu 52 [2.6.170.]: „accedebant Leviatanis filii, qui magnam factionem sane conflaverant“, nemo dubitat (quanquam exemplar constanter habeat et in contextu ac in marginibus Leviatani), quin legendum sit „Leventae filii“, illi enim a Bela patruo regno exclusi proculdubio captabant tempus, quo regnum ad se attraherent. Civile vero hoc bellum describit Phrysingensis libro septimo capite vigesimo primo: Substituto quippe (inquit) in regno Bela Almi filio a Colomanno quondam pariter cum patre Almo luminibus orbato Boritius, qui et ipse Colomanni sed ex alia quam Stephanus matre Rutenorum seu Chios regis filia natus dicebatur, regnum paternum requirit, proinde in Graeciam transiens consanguineam sibi imperatoris Caloioannis copulavit, ac post Poloniam ingrediens ducem terrae illius ad voluntatem suam inclinavit, suoque cum exercitu adiutorio illius ex vocatione quorundam Ungarorum comitum sylvam, quae Polonos et Ungaros seiungit, transiens Pannoniam ingreditur. Verum Bela rex mox ascito sibi Alberto Leopoldi marchionis filio, qui eius sororem habuerat, ac quibusdam de regno nostro nobilibus Boritio occurrit, ille vero audito strepitu ac adhortantium voce ex linguae idiomate multitudinem Teuthonicorum in acie fore cognoscens illorum potius quam Ungarorum terrore percussus una cum Polonorum duce amissis in fuga multis terga vertit, at in ipso primo Ungarorum et Polonorum congressu, antequam Teuthonici supervenirent, ex utraque parte caesis plurimis quidam ex illis, qui ex parte Belae aderant, sed hostibus suos perfide tradiderant, iusto iudicio fraudis suae poenas solventes occubuerunt; haec mala in nostris diebus in vicinis regnis pullulare cognoscimus.“
- 301 Pagina 258. versu 39 [2.6.260.]: „nondum annum post initum munus exegerat,
302 ecce Alamannorum bellum“. Bonfinius quia Pisonianam captionem describit, ac Phrysingensis, qui tunc temporis vixit, quo modo recuperata sit, tradit libro primo capite trigesimo Gestorum Frederici, addere ea placuit, ut lector, quid de Pisonio
303 actum sit, in promptu habeat. Postquam ergo captam descripsit, ita infit: quod audiens rex Ungariae Geysa Beli regis filius praemissis quibusdam comitibus suis, qui, quare vel qualiter hoc factum fuerit, inquirerent, ipse eodem subsequutus ad
304 liberationem castri magna cum Ungarorum properat multitudine. Comites, qui praecesserant, ab oppidanis, cuius rei causa tam gravem regi intulerint iniuriam, solerter percunctantur, qui responderunt se nec pro Romanorum principe, nec

299 orbato **b** orbatus / Caloioannis **b** Colomannis
300 fore **b** fere
303 fuerit **b** fuerat

pro duce suo hoc fecisse, sed pro domino suo Boritio; erat autem Boritius Colomanni quondam regis Ungariae filius praedictum regnum Ungariae, ut in prioribus chronicis (inquit hic author Phrysingensis) dictum est, iure haereditario repetens ac ob hoc adipiscendum utrosque principes, Romanorum scilicet ac Graecorum, frequenter sollicitans multosque ex militibus nostris ad favorem suum pecunia inducens. Igitur rex Ungariae superveniens castraque ponens oppidum cinxit, diversis instrumentis tormentorumque generibus adhibitis ac sagittariis oppido circumfusis. Teuthonici eo, quod dux in superioribus Baioariae partibus moraretur, princeps vero in remotis regni maneret locis, quum nullum liberationis suae solatium haberent, de facienda cum Ungaris pace pertractare incipiunt, ita, ne multis morer, mutuo colloquentes accepto a rege sub iureiurando promisso trium milium librarum in pondere castrum sibi reddunt, ipsique ad propria redeunt, rex autem Ungarorum damnum sibi a Teuthonicis illatum graviter ferens duces Noricum habens suspectum hostem denunciatur, exercitumque maximum per totam regni sui latitudinem colligit. Haec de Pisonio capto.

Pagina 260. versu 20 [2.6.298.]: „Ban enim regis avunculus“, hunc Belam dixit Phrysingensis. Et quum a Pisoniani captione hanc pugnam intercisisse dicat Bonfinius, cui consentit Otho, quid de hoc praelio capite trigesimo secundo libro primo Rerum gestarum Frederici habeat, videamus: Igitur rex ad portam Mesiam septuaginta pugnantium millia vel amplius habens erupit, in campoque inter portam praefatam et fluvium Lithahe, qui Teuthonica lingua Virvelt, quod nos vacantem campum dicere possumus, castra posuit, dux etiam cum suis non longe ex altera parte eiusdem fluvii, qui imperii Romani et regni illius ex uno Danubii latere, nam ex altero Maraha fluvius limes est, suos convocans itidem castra metatur missis exploratoribus, qui statum hostium diligenter inquirendo edicerent.

Altera die rex in praedicto campo ad quandam ligneam ecclesiam accedit, ibique ab episcopis (nam eo usque in puerilibus annis positus nondum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta armis accingitur, post haec acies ordinat, militem instaurat, positus in capite duabus alis, in quibus sagittarii, quatenus vim hostium eminus repellerent, erant, et e regione una magna acie, cui avunculus suus Bela dux praeerat in propria legione (ut aiunt) plus quam duodecim milia equitum retinens. Dehinc fluvium Lithahe ex improvise exploratoribus ducis non bene, propter quod missi erant, observantibus transvadando permeat, apposito mox in vicinis igne, itidem acies dux instituerat, et iam, quid facto opus esset, consultabat, frustra exploratores, qui aut dolo aut pigritia tardabant, expectans, quumque alii pugnandum, nonnulli ex alio latere amnis Viscahe, super quem residebat, a termino ad duo tantum Teuthonica miliaria distantem expectandum atque robur hostium melius explorandum consulerent, subito fumus apparens ignis et hostium certum signum dedit quibusdam ex nostris putantibus ac dicentibus ab hostibus in fugam versis propria castra ignibus data esse. Itaque dux, est enim manu fortis, mente audax sed morae impatiens, subito arma corripit, et secus quam disciplina militaris et ordo exposcit, non pedetentim incedens sed praecipitanter advolans in hostem ruit suis gregatim adventantibus et dirupto legionum ordine confuse venientibus. Denique ex praepetis cursu nimia velocitate sagittariorum impetum, qui in duabus praecedentibus alis positi erant, praevenit, ac illas cum duobus comitibus, qui eisdem praeerant, ferme funditus delevit, post

311 vicinis **b** vicis / consulerent **b** consulere

- haec illas duas magnas acies, regis scilicet et avunculi sui ducis, impexit ex regis legione nullo egrediente sed tanquam in modum sylvae fixa immobiliter manente.
- 314 Iam iam Ungari de fuga cogitabant dorsaque vertere volebant, et ecce Teuthonici, qui in posterioribus alis ducem suum sequebantur, fugam ineunt duce ignorante, vel ea, quae fiebant, ex pulveris multitudine, qui illis in partibus siccitatis tempore maximus esse solet, conspiceri non valente, barbari tunc primo vires sumunt, du-
- 315 cique tanquam a suis destituto circumfunduntur. Dux tunc demum terga hosti dare compellitur, ac tam pugnacis dextrae quam pulveris aerem obducentis beneficio belli periculis exemptus in vicinum oppidum Hyenis, quod olim a Romanis inhabitatum Favianis dicebatur, declinavit, Ungari usque ad praedictum fluvium tantum Viscahe hostes persequentes ad propria redeunt; cecidit in hoc praelio virorum nobilium et illustrium pars magna, vulgi vero multitudo innumerabilis,
- 316 maior tamen (ut dicitur) ex Ungaris. Quod hic autem legis, oppidum Hyenis proculdubio mendum est et error librarii, ex cuius descriptione publicatum est volumen, ubi forsitan u litteram parvam male effigiatam pro H magnum accepit, postea castigator Argentinensis Graecizans vertit i in y, aut (ut in nostro Bonfinio transscripto quam saepissime deprehendimus factum) scriba usus est ij duplici aut y, quum simplicem pingere debebat, Vienna itaque debet legi, quae Iuliobona, Flavioflavia, Flaviana, Aras Flavii ac Vindobona nonnullis dicitur, Pirchemero Favianis pro certo appellata; Lithahe Leythae nomen adhuc retinet; Viscahe forsitan is fluvius Suegadis; Virfeldt est campus, cuius meminit De situ orbis Rithamerus, ad Leytham situs.
- 317 Pagina 261. versu 41 [2.6.313.]: „Lucio tertio pontifice maximo“, lege „secundo“, ne temporis series interturbetur.
- 318 Pagina 264. versu 31 [2.6.390.]: „Adriano paulo post ad Agrianum defuncto“, legito „Agnaniam“, quamvis Fl. Blondus habeat Adriam, Sabellicus, Platina, Volaterranus, Bergomas legunt Arignanum, caeterum qui ab assentationis aut invidiae nota magis absunt, Germani historiographi omnes Agnaniam habent.
- 319 Constat vero papam cum Guilielmo Siciliae rege conspirasse, cuius tutelam Agnaniae expectare potuit tutius quam Adriae, equidem Ancona tum Constantinopolitani imperatoris ditionis erat admodum vicina Adriae, maxima quoque inter regem et imperatorem vigeat tunc inimicitia, nec satis Graeco cum papa conveniebat, qui amicitia cardinalium persuasus contra foedus Guilielmum regno praefecerat, Agnaniam autem non procul ab urbe Uni Appia, ad quam etiam situm est Marinum oppidum recentioris quidem nominis, putant enim quidam Marianam villam ibidem fuisse, unde si quis miratur me in prima decade pagina 128. pro Marium, ut est in contextu, Mathelicam potius quam Marinum restituisse, non, quod minus de hoc loco legerim, in causa fuisse, id tantum vero me sequutum sciat, quod Umbriae invadendae causa potior erat Luitprando regi quam Latinam devastandi, quum affinium partes magnae autoritatis in Latio haberet, posset quis hac ex industria loci varietatem ab historiographis descriptam esse absque iniuria credere, dum enim de genere mortis dissentiunt, forsitan ne certi aliquid
- 320 haberi possit, locum confundunt. Certe Ursprungensis et Nauclerus, qui Cremonensem scriptorem sequuti sunt, de huius morte talia tradunt: Inter haec fuit conspiratio facta contra imperatorem, in qua conspiratione se astrinxerunt ma-

314 qui illis **b** quae illis

319 Marium **b** Marianam

xima pars cardinalium sedis Apostolicae, Guilielmus quoque rex Siciliae et pene
 universae civitates Italiae cum multis petentibus data pecunia immensa domino
 321 Adriano papae, ut imperatorem excommunicaret. Et refert dictus Cremonensis,
 quod a fide dignis viris Mediolanensibus et Brixiensibus, qui conspirationi inter-
 fuerant, didicerit, quod illa conspiratio Apostolica Adriano iuramentis adeo fue-
 rit confirmata, ut nullus ab altero recedere posset vel imperatoris gratiam, nisi
 322 omnibus consentientibus requirere, et quod si moreretur papa, de munere con-
 spiratorum alium eligerent cardinalem. Sane deus, qui per os David loquutus
 „maledicent illi, et tu benedices“ in contrarium hoc vertit, factum est enim, ut
 quum praefatus Adrianus apud Anagniam denunciaret excommunicationem
 contra imperatorem, paucis diebus evolutis refrigerandi gratia processit cum suis,
 quumque pervenisset ad quendam fontem et hausit et bibit, ac continuo (ut fer-
 tur) musca os eius intravit, gutturi eius haesit in tantum, ut nullo artificio medi-
 corum avelli potuerit, quo ad spiritum exhalaret; haec Nauclerus volumine se-
 323 cundo generatione trigesima nona. Ursprungensis addit: Psalmus dicit, „maledi-
 cent illi, et tu benedices, qui insurgunt in me, confundantur, servus autem tuus
 laetabatur“, cuius versus tres articuli in hoc negotio evidentissime sunt adimpleti,
 primum nanque articulum de maledictione seu benedictione dei ipsi deo relin-
 quamus, caeterum ex duobus consequentibus constabit primum non ex deo sed ex
 diabolo processisse, ut enim adimpleretur illud propheticum, „qui insurgunt in
 me, confundantur“, eadem verba quae supra de Adriano musca necato hic habet.
 324 Mortuo iam pontifice maximo cardinales tunc in electione summi pontificis dis-
 sentire coeperunt, novem siquidem de numero ipsorum elegerunt Octavianum
 virum per omnia religiosum et probatum, inter quos fuit Tusculanensis episcopus
 et Guido Cremensis et alii, pars vero adversa elegit Rolandum cancellarium, fac-
 taque est pactio inter electores, ut neutra pars suum publice demonstraret aut in-
 thronizaret, donec discordia inter patres sopiretur. Interim pars Rolandi utpote
 325 maior suam electionem promulgavit, et ipsum attrahens quoddam insigne, quod
 mantum vocant, exhibuit, at ipse manu hoc accipiens longius a se abiecit et papam
 fieri se denegavit, pars vero adversa cernens talia suum Octavianum inthronizavit
 326 et mantum ei apposuit. Quumque turbatio facta esset, Octavianus in promotione
 appellatus est Victor, et obedientias recepit eorum, qui ad se venire volebant, e-
 iusque electioni populus Romanus assensit plerumque, erat enim vir bonus, humi-
 lis et mansuetus, Rolandus quoque, quum sui fautores ei facere vellent obedien-
 tiam, repulit eos a se dicens „eatis ad illum, quem videtis immantatum et pluri-
 mum favorem populi obtinere“, sicque Rolandus secessit ab urbe, et in vico,
 quem Castrum Sancti Petri nuncupant, permansit, sicque factum est, ut Octa-
 327 vianus qui et Victor undecim diebus resideret in urbe. Interim multi coeperunt,
 qui prius faverant, ab eo dissentire instinctu cardinalium, qui in parte sua erant,
 maximeque Guilielmi regis Siciliae et plurimarum civitatum Italiae, tunc praefa-
 tus Rolandus duodecima tantum die mantum accepit, et inthronizatus est secun-
 328 dum morem sedis Apostolicae, et Alexander nominatus est. Constat igitur, quo-
 329 niam grave in ecclesia dei oportuit fieri schisma. Tunc imperator Fredericus tali
 turbatione comperta Romanae civitati condoluit, et qualiter subvenire posset,
 excogitavit, tandem de consilio bonorum virorum utrosque electos ad se venire

330 statuit apud Papiam non, ut eos iudicaret aut causam sedis Apostolicae, sed ut a
 prudentibus viris addisceret, cui electo potius obedire deberet, quo Octavianus
 qui et Victor cum suis fautoribus adventavit, Rolandus vero qui et Alexander
 331 frequenter admonitus accedere contempsit. Tunc coram imperatore et patriarcha
 Aquileiensi et episcopo Cremonensi et aliis quam pluribus episcopis et ecclesia-
 rum praelatis causa Octaviani discussa est, et adhibitibus testibus, qui praesentes
 fuerunt, probatum est, quod sicut supra descriptum est, facta est utraque electio,
 de iure quoque satis adiectum est, ut reprobata electione Rolandi Octavianus
 332 verus praesul Romanae ecclesiae iudicaretur. Tunc patriarcha Aquileiensis, alii
 quoque episcopi et ecclesiarum praelati ad pedes eius se prostraverunt, imperator
 quoque idipsum fecit, ut ab eo indulgentiam acciperent et sibi obedientiam face-
 rent, quem exinde imperator destinavit in Alamanniam, ut cuncti ei obedientiam face-
 rent, quod et factum est, nam Reinaldus Colonensis archiepiscopus eum de-
 vote recepit, Moguntiensis quoque et Maidburgensis ipsi Victori papae se subdi-
 dere cum suis suffraganeis, mansitque Roma cum suis conspiratoribus in confu-
 sione, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam, „qui insurgunt in me,
 333 confundantur“, et tertium dictum adimpleretur, „servus tuus laetabitur“. Se-
 quenti aestate imperator magno cum exercitu segetes Mediolanensium iam tertio
 vastavit, et Brixienses arcem Manerbium obsidentes fortiter fugavit, quumque
 rediret, Mediolanenses et Brixienses, prout ante se iactaverant, quum eo bellum
 inire simulabant, quos ubi conspexit propius accedere, illico de equo prosiliit,
 ibique sequutus cibum sumpsit, illisque territis pontem destruxit, per quem Me-
 diolanensibus Brixiam et e converso iter esse consuerat, et dum post haec Placenti-
 norum perfringere vellet pontem, illi propius civitati advexere ripam, ubi pro-
 pter insultum civium pons infringi non posset; pro „Manerbium“ legerunt „in-
 ervium“.

333 Pagina 266. versu 34 [2.6.435.]: „ut Foroiulienses quotannis duodenas porcos
 334 totidemque panes Venetis tributis loco penderent“. Fl. Blondus decadis secundae
 libro quinto ita habet: Adrianus pontifex quartus Gradensem ecclesiam prima-
 tum super omnes ducatus Venetiarum atque etiam Istriae et Liburnorum eccle-
 sias tenere declaravit, quod quum Ulricus veteris Aquileiae patriarcha aegre fer-
 ret, favore Stephani regis Ungariae usus, Gradense oppidum dolis et viribus ut
 caperet, intentavit, immissaque Venetorum classis et patriarcham Ulricum et
 335 septingentos ex Foroiuliana Ungaraque nobilitate in praelio cepit. Quos omnes
 Veneti ea dimiserant conditione, ut promissum tunc tributum Foroiulienses
 quotannis rei publicae penderent, quod quidem tributum duodecim porcos duo-
 decimque panes singulos pondere ducentarios esse Veneti declararunt, unde mos
 ad aetatem usque nostram pervenit venationem singulis annis postremo Carnis-
 privii die porcorum duodecim Foroiuliensis Venetiis publice exhiberi. Haec
 336 Blondus, Sabellicus autem Enneade nona capite quinto idem ex Blondo citat,
 quanquam dicat: Plures authores in haec tempora reponunt Gradensem illam
 expeditionem, etsi magna pars Venetorum annalium in Angeli Patriciaci princi-
 patum id conferunt, ut est supra demonstratum, quod idcirco variatum existimo,
 quia Alexandro pontifice id factum aliquando legerant, sed secundo an tertio hu-
 ius nominis sedente, hoc parum illis constitit; idem dicit decade Rerum Veneta-
 337 rum prima libro septimo. De Angelo Patriciaco sane Franciscus Modestus ita
 habet:

Rivalentum imperii primus facit Angelus aulam,
 Urbem auget patriaeque vacat reparare ruinas,
 Classe idem Ulricum fundit nova bella moventem
 Et placidus victo veniam dat habere, quotannis
 Dum bis quinque sues festa in spectacula pendat,
 Quos etiam in ludis nostra haec popularibus aetas
 Cum tauro obruncat palmae monumenta vetustae.

- 338 Sabellicus panes addit decade Veneta prima libro secundo, Enneade octava libro
 nono ac dicit principem cum bona parte patrum spectaculo praesidere, numerum
 autem suum cum tauro hinc sumptum esse ex Sabellico intelligi potest, quod
 339 duodecim canonicos cum patriarcha Venetias deductos dicit. Quid autem, si sic
 legendum esset, „ut Foroiuliani quotannis duodenis porcis, totidem panes Vene-
 tis tributi loco additos penderent“, hoc ex Blondi dictis expiscari potest, quum
 inquit, „ut promissum tributum Foroiuliensis quotannis penderent“; quod pro-
 340 missum fuerat, quid opus erat pacisci? Ego rebellionem hanc mulctatam esse in-
 telligo duodecim panibus, quorum mentionem non facit P. [!] Modestus, sed li-
 berum esto lectori iudicium, quum auctoritates habeat satis ponderosas.
- 341 Pagina 273. versu 27 [2.7.83.]: „admovent tormenta sulphurea“; Augustano-
 rum (ut quidam volunt) munificentiae hoc debent Veneti, qui illis bombardas
 342 primo miserunt. De inventione horum nemo (veluti superius ex Q. Parco attuli-
 mus) Germania laudem praeripere audet, quae alias variorum armorum genere
 satis celebratur apud omnes, inventione huius machinae celebratur annus a nato
 Christo millesimus CCC octuagesimus, inventor in dubio est, quum quidam
 343 De inventoribus rerum libro tertio capite decimo octavo dicit se adduci non posse,
 ut credat tale inventum execratione omni dignum in perniciem hominum excogi-
 tatum hominis sed daemone cuiquam id esse, ut inter se non modo armis sed etiam
 fulminibus homines pugnarent, dignum authorem, qui Perilli exemplo artis suae
 primum dedisset specimen, et huius nomen ab eo ideo putat occultatum fuisse,
 quod Germanorum socordiae imputari magis debet, qui praeclara suorum facta,
 344 ne de tenuioribus dicam, nunquam (ut par erat) literis mandarunt. De his idem
 Polydorus eodem libro undecimo capite undecimo, Vimphelingus Epitome rerum
 Germanicarum capite sexagesimo quarto, Adrianus cardinalis libro De venatione
 Ascanii cardinalis, Platina in vita Urbani sexti, Campanus in Oratione Ratispo-
 nensium, Blondus decade secunda, Sabellicus Enneade nona libro nono, Stapu-
 lensis In Politicam Aristotelis, Beroaldus, Nauclerus volumine secundo genera-
 tione quadragesima nona et Hugbaldus Mutius Chronicorum Germaniae libro
 vigesimo octavo, ubi inquit: quemadmodum et quam necessarius bombardarum
 345 usus sit hoc postremo tempore, qui videtur omnibus prima specie miseris morta-
 libus perniciosissimus. Sed non revera ita habet, nam propter avariciam et mali-
 ciam extinctamque charitatem in fine mundi malorum turba legibus coherceri non
 potuisset, nemo tuto posset iter facere vel miliare, incoeperant enim paulo ante
 bombardarum inventum facinorosum hominum coetus, magnae factiones per
 seditionem multis locis bonorum labores diripere et perdere, et quis potuisset illas
 praedonum et latronum arces ex montibus deiicere, quae nostra memoria sunt

342 Germania b Germanis

ope bombardarum deiectae? Quare nostrum plurimi damnamus inventorem et inventum bombardarum, qui forte non viveremus, nec patres nostri vixissent, certe hic status rerum non esset, tam potentes et opulentae urbes non essent, neque enim mercaturam exercere potuissent negotiatores, qui civitatum potentum et magnarum praecipua pars sunt, quare dei dona desinat contemnere, nisi quis diductum os canis et dentes ad mordendum factos damnandos putat, nisique quis cornua in bove non bonum creatoris opus existimat, at nemo sanus damnat usum hoc genus partium animantibus a natura datum loco armorum, malos quidem optaremus et nos carere consilio bombardis et aliis facultatibus donis dei, ut bovem canemque rabie correptum vellemus non habere cornua et dentes. Et quae est creatura, qua non abutantur mali? Aut omnia, quae deus ad defensionem hominem docuit, damnes oportet, aut bombardis in eorum numero locum concedes, hoc ait noster H. Mutius vir profecto pius iuxta ac doctus, qui tanquam per diverticulum theologice loquutus est in Historia sua. Ego vero si aliquod iudicium teneo, aevi nostri corruptionem hac inventione honestarem, solebant enim veteres atque prisci Germani parentes nostri frugalitate laudanda uti, hinc Germaniae opulentia ac splendor, de quibus ad Martinum Meyer Aeneas cardinalis Senensis multa epistola trecentesima octuagesima tertia: Divitiae iam sudore, labore, sanguine denique exteris ex regionibus nobis a patribus corrasae in nationes alias, quae superbiae instrumentis nobis insinuantur, effunduntur, luxus omnia consumit praeter id, quod Harpyiae quaedam sibiipsis suffurantur, et ne dicam, quomodo olim Cuspinianus de Ungarorum luxuria vaticinatus est, potius omnia sua Turcae reservant (deus omen avertat) brevi omnia ablaturus. Laboribus indefessis iam tam extractae arces, aedificatae civitates quomodo expugnare et in pulverem redigere possent, quae magis docere potuit natio, quam quae armis ac ingeniis sanguinolentis abundaret? Sane manus haec domini, sane id est, quod vulgo iactari solet mundum decrescere indies, sic Asia perdita olim Romanis, florentem qua re facilius subverteretur, edocuit, sic Roma Germanos militari disciplina, qua ipsamet a tyronibus subiugaretur, imbuit. Fictilis profecto quattitur pedum pars, bestia quarta Danielis famelica grassatur, deus autem haec omnia novit.

Pagina 276. versu 10 [2.7.147.]: „in hoc Blondi Foroliviensis“; verba Blondi addere libuit, ne lectorem diu indagandi loci cura exagitet: Nec in Ungaria tunc quietae res erant, nam Belae regi mortuo duorum filiorum natu maior Emericus rite et ordine in regno successerat, Andreasque minor conspiratione cum magnatum parte inita fratrem deicere anhelabat, ventum erat apertis utrinque odiis ad bellum, cuius ratione contractus quisque copias sub signis in campestria produxit, ut qui praelio superior evasisset, regno quoque quietiori potiretur, iamque cohortes armatae in aciem utrinque prodierant, quum Emericus armis depositis omni destitutus comitatu regale manu gestans sceptrum per fraternas acies delatus est, et obviis quisque aperta dixit fronte: „quis ille tandem foret, qui regio sanguini arma manuque iniicere sit ausurus“? frater denique inventus a viro forti imbecillior obruncatus est. Cui iam fides adhibenda sit, lector videbit. Maiestas regia maximum est aliquid ac, ut cum Euripide loquar,

— πᾶν γὰρ διαίρει λόγος,
ὁ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν,

356 διαίρει ἢ δζαίρει

sed e contrario est etiam id nimis verum, quod in eodem poeta me legisse memini:

— ἐν μυχῷ στρατεύματι
ἀκόλαστος ὄχλος, ναυτική τ' ἀνάρχια
κρείττων πρὸς κακὸς δ' ὁ μὴ τι δρῶν κακόν,

quae Desiderius Erasmus ita transtulit, ac non absque ratione militum tumultum pro nauticorum posuit, sunt autem hi versus:

— — nam frequenti in agmine
Indomita turba est ac tumultus militum,
Si quando nullo cohibeatur principe,
Vincit furens incendium, quisquis mali
Nihil hic patrarit, ille demum erit malus.

357 Sed quum de imperio agatur, quantum ibi locus habeat fraternus sanguis, vellem omnino non esset tam strictus, addit enim paulo post idem Euripides: *Δεινὸν τὸ πλήθος, ξὺν δόλῳ τὲ δόσμαχον.*

358 Pagina 286. versu 51 [2.8.32.]: „unius quidem dei fidem habent“; quid de hac
359 re Paulus dicat Venetus libro primo capite quinquagesimo octavo: Colunt Tartari pro deo numen quoddam ab illis confictum, quod Natagai vocant, putantque illum deum esse terrae, qui curam de ipsis ac filiis eorum, de fructibus terrae atque gregibus pecorum gerat, hoc numen in maximo habent honore, nec est aliquis, qui in domo sua illi imaginem dedicaverit, et quoniam credunt numini Natagai esse uxorem et liberos, collocant etiam ipsi iuxta penates suos imagunculas quasdam uxoris ac filiorum, loco uxoris quidem simulachrum ad sinistram et filiorum imagines ante faciem idoli collocantes, hisce idolis magnam exhibent reverentiam praesertim, quando vadunt ad prandium et coenam, tunc enim antequam ipsi comedunt, perungunt ora imaginum pinguedine carnis coctae et partem prandii aut coenae extra domum in honorem illorum ponentes credunt deos hinc cibari, quo facto ipsi ad mensam euntes comedunt. Si Tartari alicuius moriatur filius, qui
360 nondum duxit uxorem, et item alterius moriatur filia innupta, conveniunt utriusque defuncti parentes, et inter defunctos connubium faciunt, conscriptisque contractus illius literis iuvenem et puellam in charta pingunt, et hanc cum pecunia contributa atque utensilibus et supellectile Vulcano devovent credentes defunctos in alia vita matrimonialiter coniunctos, faciunt quoque pro hac re solennes nuptias, et de praeparatis cibus nonnihil hinc et hinc diffundunt, ut sponsus et sponsa his quoque vescantur, quo facto parentes et consanguinei defunctorum tali putant se affinitatis vinculo coniunctos, ac si nuptiae illae sponsis adhuc viventibus fuissent celebratae.

1, 362 Pagina 289. versu 10 [2.8.92.]: „hexamito sericove ornata“. Sabellicus Enneade nona libro sexto de moribus Tartarorum id tradit: Nuptae mundum gerunt capitis in cistae speciem figuratum circa summum latiore sesquipedale altitudine serico et margaritis id onerant, author vero, quod hic posuit axamitho, sic enim legi debet, pro serico villosio vult intelligi, etenim Boemica lingua id sonare apud Pium videre potes, cuius verba sunt Epistola centesima sexagesima secunda: qui quum sericeam diploidem domino, cui serviebat, olim furatus esset, cogno-

359 gregibus **b** regibus / ac filiorum **b** ac filiorum

mento Axamith appellatus est, quod latine villosum sericum sonat; Bonfinius igitur vocabulum barbarum hic animi causa inseruit, de qua re in tertiae decadis annotationibus similia videbis.

363 Pagina 292. versu 28 [2.8.167.]: „ad Rodanam in editissimis montibus sitam“; Rodana quatuor miliaribus abest a Bistriçia Transsylvaniae in faucibus alpium sita Bistricensis denique ditionis, ubi adhuc hodie magnus auri et argenti in fodinis
364 proventus. Bistricia vero Germanice Nosn solet vocari, quae quidem amplitudine imperii celebris vetustate urbs est laudata, quae res, licet plurimum dent, maiorem tamen ornatum addit antiquitatis indagator omnique disciplinarum genere vir celebratissimus Martinus Brennerus, quippe cui tota haec debetur historia, cui et (si aliquid aestimatur) labor meus debetur omnis, nam praeter id, quod veterum scripta solet venari undique ac tenebris erui, veterum nummismatum copia semper abundat, donavit nuper Robertum Vinterum virum innocentissimum Philippi Alexandri Magni patris effigie in nummo argenteo ad vivum expressa, me quoque, ut est omnium liberalissimus, nummo donavit argenteo Traiani inscriptione et iconem habens; Viennae iam agit procerum suffultus amicitia ac literarum bonarum magno cum incremento.

365 Pagina 300. versu 46 [2.8.365.]: „et plerosque onagros iam factos“, puto hic „homoagros“, ut habet exemplar (ut vides) „omagros“, mendum esse, et pro eo poni debere „onagros“, ut sit sensus Tartarorum saevitia, quum se Ungari in deserta loca abdidissent, et per id temporis, quo Tartari Pannoniam inhabitarent, in sylvis degissent, in feritatem degenerasse eos plus, quam hominibus conveniebat, et simile deduxisse ab onagris, quod animal quum sit omnino cicurum, tamen si
366 humana cura destituitur et per solitudines vagatur, fera fit. Est autem dictio magis Graeca quam latina, et quasi ὄνος ἄγριος onager dictus pro asino sylvestri, sed de his apud Aristotelem et alios plura; Valerius Martialis:

Dum tenér est onager solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans, sed breve nomen habet.

367, 368 Pagina 311. versu 15 [2.9.116.]: „anno vero sexto coronationis“. Admonendus mihi videbatur hic lector, ne numero regum erraret, equidem Carolum hunc regem in margine scriptum praecesserunt Venceslaus, Otho, Lodovicus et Maria, ut
369 in Chronologia Ungariae videre potes. Caeterum quum stemma Caroli explicatur, in quo Carolus hic etiam secundus recensetur, qui Neapolitanorum rex Carolus tertius et Carolorobertus dictus fuit, facile operae in hoc erroris incidere, ut
370 quasi regnum iam initum hoc loci Carolo tribuerent. Tu vero tunc temporis non natum fuisse hunc scito Carolum et historiam Caroli primi pagina sequenti scilicet 312. versu 28. iterum prosequi, quum gesta in Pannonia regnum et mors huius Caroli decade habeantur tertia libro primo.

371 Verum quum hic mentionem feci de Chronologia nostra in hanc Ungaricam historiam, venit mihi in mentem mendum illic a statariis commissum (nam typographica ars maxime duo habet operarum genera sedentiariorum et statariorum a sedendo et stando dicta), volui igitur lectorem nescium in ultima huius Chronologiae pagina ab illis extractum typum I ita, quod in una columnella bis invenies Andreas II. impressum, sed ultimo addes adhuc unum I, et leges Andreas III.,
372 tunc integram et pure dinumeratam regum seriem sane habebis. Obliti sumus praeponere decadam numerum, ubi reges incipiebant ipsas, nam Stephanus primus principium dat secundae, regina Maria (quam ut in masculina dignitate

- habuerunt, sic masculino nomine regem non reginam sua lingua nominatam voluerunt) tertiae principium affert, quarta decas continuationem certam habet a tertia sub gestis Mathiae Corvini, quam puto adhuc latere apud haeredes, si quos forte Bonfinius habuit, aut apud familiares aut apud conterraneos aut concives aut apud studiosos, nam nihil verius, quam, quod ipse etiam si fortassis non perpolierit, scripsisse tamen aut coepisse non modo ob id, quod habetur de suspicionem mala Mathiae erga avunculum ferme ex ipsius Mathiae prius, quam moretur, confessa, sed etiam ex Rhapsodiis nostri Ritii deprehendere quivis posset
- 373 plura ipse habuisse, quam nos hodie damus. Certe suppeditabat illi satis materiae pro quinta decade in solis illius Mathiae Corvini gestis, nam Bonfinium constat supervixisse, quum hoc in loco sic dicat, „prius quam moreretur, fassus est se non potuisse uno anno gubernatorem ferre, quamvis impubis“; studiosis erit curae, quae desiderantur, perquirere. Etiam epistola decadis secundae dedicata Vladislao indicat caecis et surdis (ut ita loquar) authorem nostrum hucusque vixisse, quoad rex Mathias ultimis factis ultimum clauderet diem, et successorem Vladislaum regem duorum regnorum creatum scivisse. Hoc iterum libuit annotare, ne quis nos tam stupidum reputaret, ut haec a nobis fuissent ita praetermissa, ac si nunquam subodorassemus. Ut vobis, o studiosi, sine mora inserviremus, festinavimus, si quid tandem omissum est, vestrum erit benigne supplere.
- 374
- 375
- 376
- 377 Pagina 312. versu 5 [2.9.130.]: „Canzolum Melpthiae magnumque seneschalcum“, hic fuit ille Caracciolus, qui celebratur passim apud historiographos Ser Iani nomine, de quo, quomodo Ioannae reginae charus et ad id dignitatis evectus sit, quaque morte interiit, Paulus Iovius (vir doctissimus ac, si cum suo Sadoletto veram aliquando Christi doctrinam literis, quas habent, optimas coniunget, papatu magis quam cardinei insigniis dignus) describit in libro Vitae Sfortiae, cuius
- 378 verba sunt: Fuit etiam perpetuo infestus Sfortiae Sergianus Caracciolus, qui a regina in deliciis habitus ad id gratiae potentiaeque fastigium pervenerat, ut Alphonso regi in filium adoptato autoritate ac opibus aequaretur. Hunc a rege captum, qui reginae matris nomen tantis impudicitiae probris liberare contendebat, Sfortia redemerat ita, ut in eius gratiam cupiente praesertim expetenteque regina illustres duodecim Catalanos, quos profligato rege ceperat, gravi admodum permutatione dimiserit, sed tanto etiam obstrictus beneficio in posterum nihil ab ingenio suo discessit, quin pessimis artibus hostilia et maxime atrociam in Sfortiam moliretur. Hunc ad extremum viri illustres, qui tale monstrum ferre non poterant, ut reginae pudori consulere, pernoscantem in arce Capuana evocatumque cubiculo trucidarunt, iacuit et semivivum cadaver in via publica tanto fortunae ludibrio, ut regina nullam vocem emitteret, propinqui tanti viri caedem vindicandam non suscipere, magistratus id facinus miro silentio transmitteret.
- 380
- 381 Pagina 323. versu 46 [2.9.380.]: „quum annos tres in Italia regnasset, a gnatorum insidiis“, lege „agnatorum“, fere enim omnes, qui conscii huius sceleris fuisse, ex prosapia progeniti erant Carolorum, ex qua etiam iste Andreas duxit originem, habes quoque statim pagina 332. versu 2. „cognatorum“.
- 382 Eadem 323. pagina versu 50. [2.9.382.] habes „Ramam“, quae Syriae Palaestinae numeratur civitas, sed „Rasciam“ tu reponere, Rascia enim iam dicitur, quae Moesiae pars olim fuit superioris.

374 Mathias b Mathia
382 Moesiae b Moesia

383, 384

Pagina 324. versu 10 [2.9.387.]: „Bucentauro imposuere“. Alludit author ad navem illam, qua Veneti reges ac principes exteros vel etiam suos solent imperatores excipere victoria parta, et ut olim Romani curru vehebantur, sic isti nave triumphandos deducuntur, huius Bucentauri navis meminit Sabellicus Enneade decima libro octavo ita inquires: Vetus est mos civitatis in regum et principum ad urbem Venetam accessu Bucentaurum purpura et auro insternere; est haec navis totius senatus urbanorumque magistratum capax, agiturque nunc remo nunc velis, saepius remulco; sedet princeps in puppi auro strata aureo et ipse fere pallio amictus, assidet summus ille ordo dextra laevaue maiestatis et silentii plenus, aurum, holosericum et (quod minimum est) purpura hunc vestit ordinem, tubae tibiaeque, alia id genus instrumenta circumsonant, Bucentaurum suburbana praecurrunt navigia, paraschermos patrio sermone vocant, haec publico sumptu auleis et festa fronde in topiarii operis modum inflexa ad tempus instruunt, a prora et puppi pulpita altiuscule attolluntur, quorum fastigiis pueri puellaeque eleganti forma cultoque exquisitissimo, alii alios mentiti genios, latenti machina subnixi, puro apertoque librantur aere, hi aurea systra, illi thyrsos aliaque deorum dearumve gestantes insignia, inferiore gradu adolescentes in Tritonum et nympharum speciem figurati suo quisque statu concentu tamen uno subvehuntur, aurea ad haec signa toto navigio defixa ventoque agitata spectaculum praebent tam voluptuosum, ut nullum sit propemodum aliud, quod merito huic uni comparari possit. Bucentaurum tanta vis cymbarum sequitur officii gratia ac spectandi studio, ut interdum quam longe lateque toto stagno fert prospectus, tegantur aquae frequenti comitatu, quam rerum pompam si qui vetustarum rerum peritus diligentius spectet, haud multum diversam agnoscat ab ea, quam veterum scriptorum quidam in Quiritium triumphis prodidere, etsi rerum formae diversae, quia in diverso elemento ut ornatissima illa navis ac longe maxima sit currus, etsi nullus

386
387
388
389

reperiri possit, qui quum tanta queat mole merito comparari. Suburbanae naves, quae insigni apparatu praecedunt, urbium simulachra, earum expugnationes ac totum rerum gestarum schema, cymbarum ille frequens comitatus civium officia currum longo ordine comitantium. Haec Coccius; Lazarus Bayfius Gallus de Bucentauro navis genere sic loquens ait: Veneti habent suum navale, quod Arsenalis vocant, totius orbis pulcherrimus, in quo *νεώσοικοι* sunt circiter sexaginta, id est navium tecta, in quibus triemes reliquaeque naves longae aedificantur a fabris navalibus, quibus ibi perpetuo stipendia de publico procedunt, sunt autem *νεώσοικοι* capaces singuli triemis unius uniusque biremis et fabrorum navalium, qui eas commode vel *ἐν δρύοχων* aedificent, vel conquassatas reficiant, in quo est et privatum tectum thalamegi totius senatus Venetorum capax, opus sane, quod cum antiquis regum Aegypti navibus thalamegisque possit contendere, Bucentaurum appellant. Haec Bayfius, huius etiam meminit Modestus libro Venetiados nono inquires:

390

Molis in immensae navis transcenditur aulam,
Aulam, ubi nobilibus sunt strata sedilia circum
Vestibus et cocco et flammis rutilantibus auri,
Texta super tabulata tegunt, patulaeque fenestrae
Omnia per latera ostendunt hincinde videnda;

385 suburbana **b** suburbanas

Centauri nomen ratis est ab imagine ductum;
 Ipsa iacet nullo remi trudenda labore;
 Fune trahunt aliae stabilem per stagna carinae;
 Plurimus in puppi tubicen proraque canorus,
 Iucundumque hilaremque diem canit aere recurvo.
 391 Primum aditum ingresso proceresque omnisque senator,
 Dehinc bello clari subeunt, densisque carinam
 Ordinibus complent, ratibus nam caetera pubes
 Vecta suis sparso distendunt aequora coetu.
 392 Hic ne hilares plausus memorem, longique theatri
 Gaudia, qua mediam magni secat unda Canalis
 Se sinuans urbem et lati spacium explicat alvei,
 An modulos vocumque artes paeana canentum,
 Num monstra enumerem comptas implentia puppes
 Centaurosque Arpyiasque triplicesque Chimaeras
 Hydrasque et Scyllas et centimanos Briareos,
 Priscorum et quicquid commenta recensuit aetas?

haec ait Franciscus Modestus de Bucentaurea nave.

393 Pagina 324. versu 29 [2.9.395.]: „Licius quoque Asculanus“, Ciccus is fuit et non Licius, mathematicus insignis, cuius meminit Blondus in fine descriptionis Piceni, ubi illi de Asculo oppido mentio eius verba sunt: habuit Ciccum excellentiorem mathematicum, quam vulgarem poetam Volaterranus Commentariorum Urbanorum libro sexto.

394 Pagina 332. versu 23 [2.10.157.]: „una cum Ioanna in Andreae mortem con-
 395 iuravit“. Locus est apud Blondum libro decimo decade secunda: Ioanna datum ex testamento maritum Andream consobrinum ex Ungaria venientem accepit, qui adolescens, sicut Franciscus Petrarcha in epistola ad Ioannem Columnam tunc scriptam infrascriptis innuit verbis, tali regno indignus erat, in illius Roberti serenissimi nuper regis locum, qui unum decus aetatis nostrae fuit, aeternum dedecus iste surrexit, quacunquae autem causa sit factum, Ioanna talem exosa virum in Aversana urbe necari quum curasset, alteri item consobрино nupsit Lodovico Tarenti principi; haec ille. Ignavum hunc dixere deinde regem, quicumque imitati sunt Blondum, Volaterranus libro sexto, Sabellicus Enneade nona libro octavo, Platina in vita Clementis sexti. Quo in loco an historiographorum nonnullorum incuria, an assentatio magis appareat, in dubio est, certe Blondum indagazione historiarum nimis diligentem decepit varietas scriptorum, ac (ni fallor) temporis tantum illi haud dedit, quo Petrarchae dicta melius enuclearet, nam in eo, quod sibi ipsi iniurius et alias diligentissimus hoc in loco parum diligentem se ostendit, etiam Petrarchae, quae illi in mentem nunquam venerunt, imputat. Extat quippe epistola Francisci adhuc et de Andrea eius iudicium, quod ut lectori appareat huiusce erroris ipsum immunem esse, Epistolarum rerum familiarium libro sexto epistola nonagesima, quum ad Barbatum Sulmonensem scribit, indignamque Andreae mortem prolixa, me Hercle, epistola ac philosophica deplorat, inter caetera inquit: nunc id scelus non in homine quolibet ausa es sed mitissimum, innocentissimum hominem et dominum tuum et ante annos aliquot tui sollicitum, tui amantem rarae indolis puerum, magnae spei regem truculentissime laniasti.
 399 „Ante annos tui sollicitum, tui amantem, rarae indolis, magnae spei“, ignaviae

socordiaeve haec sunt epitheta, non puto, at a Blondo locus male citatus extat libro quinto epistola septuagesima, nec de Andrea sed de Roberto Campano Ebuli comite dictum est, ita enim inquit: neve sacrum nomen ignores, Robertus dicitur in illius Roberti serenissimi nuper regis locum, quod unum decus aetatis nostrae fuerat, aeternum dedecus Robertus iste surrexit; nec intelligitur hic, quod in regnum successerit, sed nomine illi successit, antea enim paupertate ipsum superbum item arcam et togam eius multum dissidere dixerat. Sed hoc est citare aucthores bonos praesertim in historia? Non dubito, quin vellent omnibus persuasum esse hominem Andream fuisse perniciosissimum, modo pontificis infamiam sic tegere possent, quam subiit, dum viricidam meretricem accepta Avinione urbe lenonis precium incaestuoso paricidae Tarentino coniungeret ac in regnum demum restitueret. Solent haec saepius fieri, ut vitia suos habeant patronos, qua una, hoc efficitur, ut principes minus peccata fugiant. O miserum seculum, in quo historiographi ex affectu proprio commodo potius quam ex pura veritate sanoque iudicio scribere iuvat! Si hoc impune dii ferunt, quid ultra dicendum est de tam necessariis scriptis, ut sunt et fuerunt hucusque historiarum memoriae? Actum est, profecto actum est de fide omnium chronicarum, ne dicam et caeterorum omnium scriptorum, si superi non dispiciunt ista. Valeant deinceps literae, si mendaces debent esse, et liberum sit cuivis mendaci posteris suas afferre nugas. Hoc non dico propter virum illum de literis tam bene meritum Flavium Blondum, nam quis est, qui non errat, invitus tamen errare humanum est, sed volens et sciens inhumanum, propter quosdam alios haec aegre dixi. Deus et dominus noster Iesus Christus sancto spiritu suo doceat nos omnes scribere, et faciat, ut quae scripta erunt, bonos et non avaros nanciscantur typographos, nam omnes auctores nimis sentiunt, quid potest et sordida tenacitas typographorum quorundam et inscitia castigatorum cum inertia operarum. Tamen auderem fateri deum Brenneri votis hoc in opere satisfecisse praesertim, quum pro tali tantoque exemplari nactus est Robertum Vinterum virum Basiliensem typographica arte sua de literis omnibus libere optimeque meritum, qui iam castigatorem H. Guntzium virum *πολυγλώττην* et in *ἐγκυκλοπαιδία* veteranum pro officinae moderatore habet, et quam expertissimos operas habere posset, summopere curat sua nunquam tyronibus committens. Verum (ut vulgo dici solet) bono vino opus non est haedera, diligentiam domini et operarum suarum res ipsa commendabit satis.

411 Pagina 333. versu 22 [2.10.178.]: „regni fines ingressus Interamnam, Adriam, Theatum, Pinnenses“, legendum est „Interamnam, Theate, Pennenses“, siquidem et Plinio et Ptolemaeo Teramum eo, quod omnibus ubique circumdatur, Interamnia vocatur, Theate a Plinio Marrucinorum urbs numerata, Pennenses autem Plinius post Praecutinos posuit, quorum hodie extat urbs haud longe a Laureto Penne vocabulo.

412 Item hac in pagina versu 36. [2.10.184.] legitur: „in titulo hac modestia usum affirmant“; Naclerus generatione secundi voluminis quadragesima quinta scribit hunc scribam et pontifici maximo et Lodovico ac Carolo diem dixisse, quo papa sedem resumere deberet aut pontificatui exui ac imperatores libertatem Italiae restituere, cum hac inscriptione: „nos candidus Spiritus Sancti miles, Nicolaus severus et clemens, liberator urbis, zelator Italiae, tribunus augustus“, has si quis cupit legere nugas, Naclerum videat loco citato; extant de hoc scriba epistolae

409 posset **b** in custode possit

Petrarchae haud iniucundae, Blondus quoque quaedam refert de isto decade secunda libro decimo.

- 413 Pagina 343. versu 17 [2.10.367.]: „Aegidius occurrebat Hispanus nobili Carilorum genere natus“. De hoc Aegidio habes Historiam a Ioanne Genesio Sepu-
414 lueda eleganter descriptam nostra opera Germanis antea incognitam in lucem aeditam per typographum solertissimum Robertum Vinter praelo nuper excussum, hanc inscripsi heroi illo nobilissimo Rochae Spoletanae Georgio Regulo, quo in literas bonas liberaliorem Mecoenatem praeter illustrissimum principem
415 Ioannem Rodolphum Morbacensem et Ludrensis collegii abbatem (qui etiam amore literarum et earum studiosorum cum veteribus quibusvis certat) in Germania adhuc non inveni. O, si tales multi Mecoenates hodie nostro praefato domino Ioanni Rodolpho principi magnifico similes essent, sperarem omnino rem literariam in summa foelicitate festim evecturam, sed eheu, qui possunt, nolunt, et qui non possunt, libenter vellent, is tamen generosus princeps utrunque
416 plane tenet, nam et vult et facit. Perpaucos parasitas sua videbis in aula sciens hoc hominum genus nil aliud esse quam tinearum et murium similitudo, hi tinnitu surrantes vespis comparandi et etiam canibus, nam canes cauda adulantur dantibus, negantibus latrant, quod parasitae tales non sint, quis inficias, ibit, si semel olfecit mus pinguedinem obsonii aliquo haerentem, non deprehendes murem ante damnum, si encomium parasitae apud Terentium aut Plautum non leges, saltem videas Laertium, qui philosophum Diogenem nihil prorsus possidentem quum videbat panem suum a mure rodentem, affert dicentem „etiam Diogenes parasitas alit“; tineae sunt, nam ita haerent bonorum bonis, ac tineae a tenendo dicta vestibus haeret. Longe alias liberalitatem suam dilatat is verus princeps, qui
417 pius, sapiens et doctus supra, quam dici potest, semper habitus est.

- 418 Decade in hac secunda prima continentur auspicia regni Ungarici, fides accepta orthodoxa, repudiata, iterum recepta; fraternae acies concurrunt saepius, factiones civileis quis foveat, quis excitet, hic invenitur; quae pro propagatione Pannonici regni peracta ac tentata sint, quaeve apud exteros reges confecerint bella, vides; Syria recuperata, perdita iterum, pontificum et imperatorum similitates et Neapolitanorum regum propago inclytissima enumeratur; Tartarorum pestis ac aliae permultae vel caeterarum vel Ungariae calamitates depinguntur; denique quid sub regibus viginti quinque aut clari fecit gens Pannonica, quid
419 perpressa sit, ordine explicatum habetur. Finis.

- 420 In tertiam decadem Bonfinii annotationes Ioannis Herold Acropolitani.

- 421 Pagina 374. versu 45 [3.2.56.]: „Gemitorios usque gradus“ puto legendum esse „Gemonias“, habes enim supra in secunda decade libro sexto pagina 254. versu 40: „multi in Gemonias unco tracti“, sequitur etiam infra libro octavo pagina 499.
422 versu 32: „neque ad gradus Gemitorios“. Bonfinius noster latinitatis observantissimus quam minimum a phrasi latina declinare piaculum ratus formulas illas probatissimas authorum ac verborum collocationem historiae suae semper, quam
423 potuit, commodissime adaptavit. In Gemonias coniicere unco trahi apud Latinos suppliciorum est genus Romanis usitatum, exerceri in his, qui in rem publicam plus caeteris peccarant, unde id, quod a senatu petitur, ut Tiberii cadaver in Gemonias coniiciatur, id etiam, quod mortuo Commodo incommodissimo rei pu-

417 liberalitatem b libertatem

blicae imperatore iam suffocato senatus ira flagrans exclamat: exaudi caesar,
 carnifex unco trahatur, saevior Domitiano, impurior Nerone unco trahatur, et ad
 424 Gemonias scalas Vitellius minutim excarnificatus periit. Vocabantur autem sca-
 lae Gemoniae sive gradus Gemonii gradibus eminens locus Romae sub Aventino
 iuxta templum Iunonis reginae, quod dedicavit Camillus captis Veis, unde non
 modo deiciebantur damnati, sed etiam si qua alia sorte vitam finierant, cadavera
 eo trahebantur, quemadmodum legimus de M. Claudio (quod foedam cum Corsis
 425 contumelia carceris et detestanda Gemoniarum scararum foedatum. Quum au-
 tem etymon huius vocabuli quidam a gemitibus et calamitate mutatum fuisse cer-
 tant, quibus facile assentiendum erit eo, quod in libris sacris tale quid habetur, et
 omnes interpretes post divum Hieronymum (ut opinor) solent ita vertere hanc
 dictionem Gehenna pro valle filiorum Hennon גֵּהֶנְנוֹם scripta, ubi ploratus
 426 magnus et stridor dentium cum cruciatu summo inest. Bonfinio etiam licuit sibi
 fingere propriam appellationem, nisi magis scribae velis in causa esse negligenti-
 am, „Gemitorios“ enim tam probe deducere quam „Gemonios“ a gemitibus;
 ego tamen puto Bonfinium plus tribuisse Romanae linguae synceritati quam
 proprio ingenio.
 427, 428 Pagina 385. versu 8 [3.2.273.]: „puellae concubitu enectus est“. Misera, me
 429 Hercle, regum conditio hic ostenditur. Vides hunc Ladislaum inter mille difficul-
 tates sub tutela matris adolescere, summam in eo calliditatem et dominandi cupi-
 ditatem ita excrescere, ut Italiae populis omnibus brevi suspectus ac formidabilis
 et favore populi ita elatum ut et Romam in potestatem redactam totius Hetruriae
 imperium post pacatum regnum Neapolitanum concusserit, discant in eius vita
 principes vigilantiam, imperatoris officium, id est non domi desidere, non per
 praefectos omnia administrare, sed manum admovere propriam, exercitus duc-
 430 tare, expeditiones obire, sed intemperantia quam grave malum, videmus. Potuit
 vincere hostes, victus resumere vires, periculis se custodire toties, impetitus La-
 dislaus a luxuriae vitio demum prostratus occubuit, quem principes orbis non po-
 431 tuerunt edomare. Sic enim de eius morte scribunt historiographi: abutebatur
 enim (ut fertur) cuiusdam medici sui adolescentula pulcherrima, quam quum
 summe diligeret, persaepe ad eam ventitabat, quod quum genitor medicus co-
 gnovisset, Florentinorum oblationibus corruptus regem cum filia hoc modo into-
 432, 433 xicavit; ipse enim medicus pater filiam ad se vocatam blandis alloquutus est ver-
 bis: Placet (inquit), filia mi, quod me avum sobole regia facere studeas? Itaque
 ama illum illique servi ac cura summopere, ut redeameris, quanquam si tu mihi
 434 obtemperaveris, faciam, ut te nil charius habeat, et hoc, filia mi, te et omnes nos
 beabis. Fuerunt itaque adolescentulae summopere verba haec cara, illaeque
 venenum (quod medici neapellum vocant) puellae in panniculo tradidit, iussit-
 que, quum a rege foret comprimenda, vulvam eo medicamine leniret, puella igitur
 paternis consiliis obtemperans regemque eo medicamine mox interfecit, atque ita
 nec impudicam pater habuit filiam, neque inultum passus est abire regem; circa
 annum mundi sexies millesimum quingentesimum octingentesimum quartum
 435 actum fuisse nonnulli praedicant. Duae, me Hercle, hic videntur humani generis
 pestes perniciosissimae, luxuria atque avaritia, haec regem occidit invictissimum,
 illa parentem in filiae necem contrudit, sequacia sunt maiorum vitia regum ex-
 emplo, peccati incessit licentia, quantum putas peccare in rem publicam, qui ne
 seipsum iniuria afficiat, continere se non potest, praesertim rex, qui pro maiestate

- 436 vel minimam offensiunculam pati non debet, vel pro teneritate ferre tantillum
nequit. Cui parcat, qui liberis parcere nescit, ac pecunia allectus stuprum filiae
medicatum offert, ut infamiam coemat et sobolem perdat, quae deorum religio,
437 ubi nummi numen, iura naturae, instituta maiorum, vindictam summi dei vel
contemnet, vel se ad colendum honorificentius invitat? Discant ergo principes
438 incontinentiae malum, avaritiae vulgus cognoscat tandem idololatriam.
Pagina 387. versu 40 [3.2.327.]: „Sbincolepus Pragensis antistes“ legendum est
439 „Subinco cognomento Lepus“, sic autem legit Pius Historiae Boemicae capite
trigesimo quinto, Nauclerus et caeteri huius farinae authores. Si seculo Livii hi-
storiam suam lectores etiam annotassent, haud dubium est, quin castigatior ha-
beretur, nam authores, ex quibus sua deprompsit, nondum perierant, et proprio-
rum nomina magis familiaria proculdubio habebantur, immo quod plus est, inge-
nia hominum perplurimum tunc temporis valebant.
- 440 Pagina 394. versu 25 [3.3.20.]: „Ericus rex Daciae“ etc., Petrum Portugaliae
infantem hic facit germanum Erici regis etiam contra opinionem Pii, quem se-
quitus est, et aliorum; sic enim habet Pius capite Boemicae historiae quadrage-
simo quarto: eo quoque tempore Ericus rex Daciae et infans regis Portugalliae
familiaris germanus Iacobi cardinalis Sancti Eustathii excellentis et clarissimi viri.
- 442 Pagina 398. versu 30 [3.3.115.]: „Ulmam Sueviae civitatem“. Pius capite
quingentesimo secundo ita habet: Sigismundus interim se Ulmam contulerat, ea
est Sueviae civitas ad ulteriorem Danubii ripam sita, Licus amnis, qui Suevos a
443 Baioariis disterminat, e regione urbis in maiori flumine exoneratur. Miror Pium,
cui alias Germania multum debet, tam sinistre hic et tam stupide scripsisse, nam
praeter id, quod erravit, alios suo errore sibi fecit sequaces; idem est dicere e re-
gione Ulmae urbis Licum influere Danubium, quod esset, si quis vellet contende-
444 dere Byrsam apud Scephusiam Rhenum intrare. Apud Irenicum quid de isto flu-
vio habeas, videndum est, is enim libro Exegeseos octavo capite vigesimo septimo
ita inquit: Lycus Vindelicorum fluvius (ut ait Peutinger) urbem Augustam tribus
vicibus dirimit, de quo Aeneas Sylvius; Sigebertus Geblacensis hunc scribit Ba-
variam ab Alamannis, id est Suevis, dividere, Teuthonice Der Lecht, campus Lyci
Lechtfeld, Lycacii populi Vindelicorum (ut Strabo libro quarto ait) a Lyco di-
445 cuntur; referunt hunc apud Valkyrum oriri, alii in Alpihus. Celtas Odarum libro
secundo:

Qua multa inundans prata
Rapax Lycus ex alpium radice
Fusus Danubii sociatur undis;

- 446 et libro tertio Augustam Lyci margine conditam ait. De illo Volaterranus libro
septimo, Huttenus in Panaegyrico, Ligurinus autem corripit et produxit primam
illius, ait enim libro primo, „quas Lycus“ et libro secundo „rura Lycus“; Lechum
hunc nominat Paulus Diaconus libro secundo capite decimotertio De rebus
Longobardorum et iuxta hunc fluvium Virdam; Vertach Germanice, Graece
Λύκιος a Ptolemaeo dicitur: „κατὰ, inquit, τὴν ἀρχὴν τοῦ Λυκίου ποταμοῦ, τοῦ
εἰς τὸν Λανούβιον ἐμβάλλοντος, δε διορίζει τὴν Ῥαιτίαν ἀπὸ τῆς Οὐνδελικίας,
id est, iuxta principium Lycii amnis, qui in Danubium exit, qua Rhoetiam a

440 Pagina 394. b Pagina 294.

446 δε διορίζει b ὡς δ' διορίζειν

447 Vindelici terminat, postquam igitur Reynum, Augustam, Lantzspergum prae-
terfluit, inter Nuenburgum atque Werdt in Danubium exit. Certè Ulma urbs a
448 Lyco ad orientem abest plus octo Germaniae miliaribus, necnon ab Lechsgmund,
ubi in Danubium exoneratur, ferme quindecim. Unde sententia haec restitui fa-
cile non potest, ac omnino corruptus invenitur.

449 Pagina 414. versu 52 [3.4.77.]: „quin apud Vratislaviam Poloniae regem“; Pius
ita habet: Disceptatum est inter legatos partium non convenientibus induciae belli
dictae, conventus in aliam diem apud Vratislaviam statutus; igitur sic legendum
puto: „quum apud Vratislaviam Poloniae regibus deinde conventus esset indic-
tus“, Vratislavia loci, nullius hominis fuit unquam appellatio; est autem Aeneae
locus capite Boemicae historiae quinquagesimo quinto.

450, 451 Pagina 421. versu 38 [3.4.205.]: „saepe hunc Fredericus“. Hunc locum, ex
epistola Aeneae Sylvii ad archiepiscopum Strigoniensem Dionysium sumptum
esse ut videres, volui in medium adducere: Annos natus tres erat puellus, iamque
452 attigerat quartum, sed aetatem maturiorem tum proceritas pueri tum intellectus
mentiebatur. Tu enim aliquando in ulnis habuisti, quando coronam regio impo-
nens capiti, nunc dimittis, domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei
salutate tuum; sed alia nunc pueri facies est, aspectus eius omnes, qui aderant, in-
credibili voluptate replevit, incedebat nanque per aulam, tanquam sciret se regem
esse deberique sibi ab omnibus reverentiam, oculosque nunc huc nunc illuc non
sine maiestate quaedam deflectens candidulam manum porrigebat astantibus,
tantaque lucebat in eo puero gravitas, ut saepe minorem grandaevi reges prae se
453 ferant. Antequam patruelis adesset, nutricem percunctatus est saepe, ubinam
esset, at ut venientem didicit, in honorantis modum suapte caput suum inflexit, et
tanquam sciret ducalis dignitas quantum ab imperiali distaret, aliter Sigismundo
454 duci, aliter caesari se obviam dedit. Dum hinc atque hinc in circulo interpellaretur
(Aethiopem forte vidit) moxque in caesaris fugiens sinum, „heu, quam (inquit)
deformis“, demiratus est caesar confugientis ad se pueri confidentiam, qui priori
tempore nunquam in eum dirigere lumina voluisset, laetusque novitatem circum-
455 stantibus exponebat. Tum magnificus cancellarius Caspar: „Ne mirere (inquit),
imperator, numen in puero est, nec regius sanguis divini spiritus tutela caret; ma-
trem habuit, quum te antea sprevit, nunc illa defuncta praeter te habet neminem,
ideoque tibi tanquam patri alludit, tu illi pater, tu mater, tu avus es, in te illi spes,
in te subsidium, in te salus est, scit hoc puellus, et quia pupillus est orphanusque,
auxilium tuum implorat, te sibi patronum petit, tutorem, advocatum, protecto-
456 rem. Ego desertus sum, ait, hinc Poloni Ungariam occupant, hinc Boemi novas res
moliri student, aetas mea contemnitur, et quia annos non habeo, nec ius credor
habere, at si tu me, caesar, iuveris, maxima haec duo regna mihi obediunt, nec
praeter te maiorem regem, quam ego ero, Europa videbit, sin deseris, ex rege co-
ronato parvulus fiam dux, ex quibus obsecro, ut curam mei habeas, caesar, ut fa-
457 miliae nostrae honori consulas, et tuam serves dignitatem, ne ius meum alieni
usurpent, meaque abutantur aetate. Hoc vult puer, o caesar, quum ad te venit, hoc
458 ille blandiciae postulant, hoc est, quod ad te confugit non sine aliqua divinitatis
instigatione, tu pueri, tu pupilli et orphani et sanguinis tui miserere.“ Moverunt
caesarem tum pupilli blandimenta tum Casparis verba, at post morulam “Non

455 (inquit), imperator **b** (inquit imperator)

deseram (inquit), Caspar, sanguinem meum, nec si Romanum imperium aut
 Austria quicquid poterit periclitari, iusticiam pueri sustinebo”, sicque loquutus
 459 patruelem brachiis elevans media fronte suaviatus est. Erat puer ultra, quam dici
 possit, formosus, nasus avi materni et frontem susceperat, oculus ex patre mu-
 tuatus fuerat, pectus et humeros ex utroque, caetera matris erant, ore parvo, malis
 ad gratiam tumescentibus succi plenus et plus lactis habens quam sanguinis, capil-
 lis crispis et in auri fulgorem nitentibus, risu cum verecundia mixto, nihil in puero
 emenda dignum, si nudum solumque in nemore quis repperisset, regium genus in
 puero cognovisset, nec aut illi canis aut lupa defuisset nutrix, sicut de Ciro refe-
 460 runt atque Romulo. O, si puerum hunc viderent Ungari tui, qui tecum in fide
 manserunt, o, si eum tangere aut audire possent, quos animos sumerent, quas
 461 acies ducerent, quae bella gererent, quas ederent hostium strages! Stupebam olim
 ego, quum legerem Macedonas cum Illyriensibus praeliantes, quoniam prima
 pugna succubissent, sequenti die certamen instaurasse, infantemque, ob cuius
 regnum certabant, ad bellum iacentem in cunis detulisse, quo viso tantus ardor
 invaserit milites, quod hinc leones, hinc pecudes crediti fuerint praeliantes, ac-
 cendit nanque virtutem commiseratio pueri, quoniam indigne privari regno cer-
 nebant, versi ergo in fugam Illyrii victoriam hostibus reddiderunt recognoscentes
 462 priori certamine non vires illis aut animos sed regis auspicia defuisse. Quae quum
 mihi prius fabulosa viderentur, Ladislaus puer avitis regnis spoliatus credibilia
 praebuit, nam si ego alienigena sub imperio natus Romano commoveri viscera et
 omnes mutari affectus ex aspectu pueri sensi, quid (inquam) facturi sunt illi, qui-
 bus hunc natura dominum tradidit, quos pater eius et mater et avus rexere, qui
 eum inter se nasci viderunt, qui caput eius adhuc infans diademate cinxerunt, qui
 iureiurando promiserunt obedientiam, nempe si verum mea sententia fert, non
 solum fideles praesentia pueri commoveret, sed ipsos etiam, qui fidem cum for-
 tuna mutarunt, ad commiserationem traheret, immo et ipsos hostium truces ani-
 mos frangeret, nec telum esset tam asperum, cuius acies laedere puerum posset
 adeo generosum, nec ullius oratio tantum momenti haberet in populos quantum
 seipsum puer in medio multitudinis erigens, sive is esset, quem admirabantur
 463 Athenae, sive quem universi sequebantur Quirites? Habet enim latentem quan-
 dam energiam regis facies, nec ullus est tam durus, tam asper, tam ferus aut inanis,
 464 qui regibus indigna ferentibus non compatiatur. Sed nunc praecipue misericordia
 crescit, quum is, qui patitur, suam calamitatem effari per aetatem nescit, at ubi
 flendum esset, risu diffunditur, ubi ridendum, planctu, qualem cernimus Ladis-
 laum, qui etsi maximam habeat plorandi materiam sepulto patre orbatus et matre
 ac regnis nudatus, alacritatem tamen ostendit, equum ascendit ligneum, totamque
 465 laetabundus obaequitat aulam. O, generosum puerum, quis est, qui te spernit re-
 gem, quis est, qui tibi nolit subesse, quae illi nobilitas satis erit, cui tua minor vi-
 466 detur? Nemo est orbe toto, qui te generis claritate praecellat, nemo par est, mul-
 467 tumque distet, necesse est, qui tibi secundus ponatur. Fabulantur Gallici Troia-
 nam prosapiam, sed illa iam diu defecit, terque post Francorum in Galliam
 transitum regiam stirpem Gallici variarunt; aiunt Anglici Brutum quendam
 eversa Troia illico ad se venisse, unde reges eorum trahunt originem, quod nullus
 historicorum tradit praeter Anglicum parum eruditum, qui volens Romano ge-

458 (inquit), Caspar b (inquit Caspar)

466 orbe b orbo

468 neri insularem aequare sanguinem, quod Livius atque Salustius graves authores
 469 de Aenea narrant, finxit de Bruto, quanquam et postea Saxones Britanniam ma-
 gna vi invadentes pulsus prioribus incolis novos cultores induxerunt, ac reges et
 linguam mutarit; at tecum, Ladislave, nihil oportet fingere. Utinam veritati satis-
 faceret calamus, nostraque posset oratio fieri vero conformis! Sed superat omnem
 sermonem tua nobilitas, nanque ut praeteream nobilissimae Australis domus
 originem ad altum usque Iulii sanguinem repetendam, genitorem tuum Romani,
 Ungari atque Boemi regem suum venerabantur, cuius opera totum in orbem
 vulgata sunt pro tutela fidei et augmento nominis Christiani gesta; avus tuus iis-
 dem praefuit regnis, Turcas plurimos plurimis praeliis lacessivit, Scythas plurimos
 domuit, omnibus infidelibus terrori fuit, scissam ecclesiam treisque colentem
 pontifices in Constantiensi concilio traxit ad unionem, Gallos Anglicosque infen-
 sissimos hostes composuit, Hispaniam pacavit, Italiam ter intravit, coronamque
 caesaream suscepit, cuius fratres reges fuerunt; pater illi Carolus quartus fuit, et
 illi avus Henricus septimus caesarum, qui post Theodosium regnavere, tum sa-
 pientissimus tum gloriosissimus, sub quo Germania et Italia quasi columbae sub
 470 aquila tremebunde tulerunt imperium, cuius maiores longa serie Romanam rem
 publicam gubernarunt, quam nunc et tuus patruelis Fredericus administrat. O,
 471 splendidum genus pueri, o, gloriam et laudem, ubinam sanguis illustrior, ubinam
 series tantae nobilitatis? Obscuritatem quaerunt, qui post tantam generositatem
 alium petunt regem; mirares, si tantum splendorem Ungari fugiunt, quem nec
 Macedones, nec Babyloii, nec Romani contemnerent, sed ultro sibi regem de-
 poscerent, cuius egregia indoles praesagium facit paternam in eo fortitudinem,
 472 avitam prudentiam et utriusque liberalitatem renatam. Nec tantam de se spem, ut
 473 Ascanius Aeneae aut Hector Priamo aut Alexander Philippo praefuit, quantum
 in hac aetate Ladislaus se visentibus exhibet. Hunc caesar propediem in Austriam
 secum adducet, Ungariaeque vicinum praebabit, ut videri ab his possit, qui amant,
 474 et timeri ab his, qui odiunt. Haec autem notatu digna nolui praeterire, quoniam
 decens supplementum historiae Ungaricae est, quemadmodum caetera omnia,
 quae hincinde magno labore in usum et gratiam historiae curiosorum collegimus,
 ut paulo ampliorem et clariorem hanc haberent, nam hic de moribus Ladislai, de
 pueritia et forma plura iam habes, quam Antonius Bonfinius vir pius nobis dedit.
 475 Haec Aeneas Pius fidelissimus a secretis Frederici tertii imperatoris, qui praesens
 interfuit, scriptis mandavit, quanquam plura de hac re, quae habet, omisi, ne
 longus essem.
 476 Pagina 432. versu 21 [3.5.6.]: „visendi populi gratia“ legendum est „visendi
 regis gratia“, locus est apud Sylvium Boemicae historiae capite quinquagesimo
 octavo: venere plurimi ex Boemis ad Fredericum visendi regis gratia, quid enim
 477 sibi hic velit „populi“, non video. De Giscrae quoque verbis apud eundem sic le-
 gitur: Iam Giscra Boemus rerum omnium gnarus, antequam caesar in campo fo-
 478 ret, Novam Civitatem intraverat, et quae facturi essent Ungari, praedixerat. Is
 praesentiam regis Ladislai desideravit, ad quem, quum venisset puerulumque
 conspexisset, conlachrymatus esset, et „heu, quantos (inquit) pro te labores subii,
 quot adivi pericula, quantum sanguinis perdidisti, sed tu haec per aetatem non intel-
 479 ligis, utinam tantum mihi vitae detur, quod tu sensate loqui possis, et qui tibi cum
 fide servererunt, cognoscere“, nonnullaque munera puero contulit. Tum Ioannes
 magister camerae imperialis, qui tunc forte aderat, hic inquit: „Serenissime prin-
 cept, diu tuas partes in Ungaria tutatus est, hic tuus dux, tuus tutor, tuus defensor

480 tuusque rector est, cur non sibi stipendium praebes?“ Ad haec puellus divino
quodam spiritu ductus apertis oculis, qui iuxta phylacterias pendebant, sex
481 nummos recepit, Giscrae tradidit, quos ille filo aureo ad collum suspendit, et us-
que in hanc diem ob memoriam puerilis liberalitatis secum defert. Haec Pius
postea secundus dictus; iam lector, ambos scriptores habes, ut historiam conferre
posses.

482 Pagina 434. versu 42 [3.5.58.]: „praelium* siquidem“, asteriscus appositus
deesse aliquid significat, sed parum deest, et visum est restituere id hoc modo:
„Sed quando non par utrisque bellandi causa erat, praelium diversis votis trahe-
batur, siquidem hi“ etc., praelium enim dimicare, quanquam apud bonos autho-
res in usu sit, hic locum habere vix potest.

483 Pagina 474. versu 40 [3.7.130.]: „turpiter ilia ducant“; ilia ducere, quid sit,
nescio, et haud pudet fateri, in exemplari rarus erat locus, sed ut habetur, restitui-
tus, id, nescio, cuius manu additum in marginibus; ego quidem legerem: „Consi-
derent, pridie quam bene pugnarint, quot hostium protriverint millia pauci, quo-
tiens inclinarint et fuderint, praecaveant ad extremum, turpissimum illis ducant, si
sudores hactenus effusos tolerataque pericula omnia sint irrita habituri“ etc., li-
berum autem lectori in hoc esto iudicium.

484 Pagina 477. versu 38 [3.7.187.]: „auratae in conspectu hastis acies emicuerunt“,
lege: „Amurathis in conspectu hostis acies“, etenim in contextu solebat scriba
semper pro „Amurathe“ Turcarum imperatore „Amrate“ scribere, igitur quum
casus hic non quadraret, auratae acies posuerunt operae a scriba falsi, qui „Am-
rate“ pro „Amratis“ posuerat.

485, 486 Pagina 480. versu 26 [3.7.241.]: „reiecta est in paedagogum culpa“. Ut quid de
hoc paedagogo actum sit, placuit in gratiam amici lectoris ex Pii libris adiciere;
487 haec ita habent: Accipe igitur rem gestam et, an sim culpabilis, tu iudica. Caspar,
de quo sermo est, humili loco natus admodum pauper literas apud Viennam didi-
488 cit, ut est mos patrius, mendicando se nutriens, emersit non sine labore. Vicit for-
tunam virtus, vocatus est in cancellariam Austriae, deinde sibi in aulam sumpto
credita est Ladislai regis pueritia, quum iusiurandum praestitisset nihil se contra
caesaris aut honorem aut utilitatem facturum, et quod caeteri familiares iurant,
avertere (quoad possit), quaevis incommoda caesareo culmini imminencia pro-
489 misisset. Suscepto paedagogio fuit circa puerum diligens, literis et moribus illum
pro captu instituit, factus igitur caesari et omni curiae carus intravit consilium,
sedit cum principibus, in mensa regia cibum suscepit, quumque vacasset in Au-
stria ecclesia una ex maioribus iurispatronatus multique illam barones magnique
nobiles peterent, praelatus omnibus Caspar ecclesiam munere caesaris conse-
quutus est, quamvis et alia prius beneficia non modici valoris obtinisset; erat
igitur in curia potens Caspar, nomenque parvum non habebat et bonitatis et doc-
trinae, nec dubium putabatur, quin brevi ad episcopalem ascenderet apicem;
490 laudabilis hucusque hominis vita dignaque diligi. Sed nescio, quomodo posthac
mutatus est, quidve homini in mentem venerit, ut maiora cupere et indigna se
negocia agitare coepit, intelligens enim Australes novandarum rerum cupidos
occulta cum Eytzingero colloquia inivit, qui caesari capitalis inimicus habebatur,
quumque venisset ex Ungaria episcopus Argentinensis nomine Paulus, multa cum
eo apud Graecium de abducendo rege Ladislao clanculum pertractavit, in Nova
491 insuper Civitate cum barone quodam de Alto Monte consilium habuit emittendi
ad portam pueri, ubi parati essent, qui eum equites abducerent. Quumque nihil

horum processisset, literas puero dictavit, quas scriberet Australibus, mandans
 eis, ut coeptum propositum contra caesarem retinerent, invitumque sese Italiam
 petere scirent, in Roma quoque nonnihil tentasse confessus est, sed omnia supe-
 rat, quod Florentiae aggressus est facinus. Quum caesar ex urbe rediens illac et
 492 transitum facerent, expectabant ibi caesarem Ungarorum et Australium oratores,
 inter quos Augustinus episcopus Iauriensis huiusmodi cum Caspare apud eccle-
 493 siam sanctae Crucis colloquium habuit: „Hic (inquit) locus est, in quo nostrum
 regem liberati reddere possumus; fides publica data est non caesari tantum verum
 etiam Ladislao; suade igitur puero, quum caesar adire voluerit, usque ad portam
 eum sequatur, eo quum venerit, velle se diebus aliquot Florentiae immorari dicat,
 equumque retrovertat, quod si caesar ad exitum voluerit eum compellere, praesto
 494 erimus; vim regi fieri indignum esse dicemus, fidem civitatis implorabimus. Puer
 ipse coactum sese vociferans ad misericordiam populos commovebit, prius tamen
 apud senatum urbis dabimus operam, praesto ad portam armatos habeat, quibus
 495 cohiberi caesaris violentia possit. Civis hic est, quem Budae negociantem novi-
 mus, is se operam senatus imperatorum pollicetur, tu regis animum praepara, nos
 496 hanc provinciam cum magistratibus civitatis suscipiemus“. Annuit Caspar, atque
 ad regem profectus ex conducto cuncta disposuit, fuissetque peractum facinus, nisi
 apud Florentinos plus quietia consilia quam seditiosa valuissent, nam civis ille, de
 quo pontifex Iaurinensis fecerat mentionem, quum de tali negotio magistratum
 alloqueretur, gravibus verbis reprehensus atque correptus ad episcopum rediens
 impeditas cogitationes exposuit, non tamen conquievit Caspar, sed regem, quum
 Bononiam pervenisset, in hanc sententiam summo pontifici propria manu per-
 497 suasit scribere: „Accepi, sanctissime pater, adversus fideles nostros, qui pro mea
 in Austria liberatione laborant, sanctitatem tuam nonnullos processus decrevisse,
 quae res mihi adversa est, precor igitur, quicquid contra me actum est, revoces, id
 erit enim officii tui, quum scriptum sit: pupillo et orphano adstabis, id nisi feceris,
 compelles me maiores iudices appellare“; alia fuerunt epistolae verba, effectus
 498 autem, quem refero. Clausa epistola est et signata missa est Augustino episcopo,
 an vero beatissimo papae Nicolao reddita sit, sua sanctitas novit, me quidem latet.
 499, 500 Haec omnia suspicante non tamen sciente caesare hactenus gesta sunt. Quum es-
 semus Ferrariae, velletque caesar navigio Venetias petere, conscius erratorum
 Caspar eum adit, marinas aquas nauseam sibi movere ac nocentissimas esse itu-
 rumque terrestri itinere Tarvisium, si placet caesareo culmini, dicit, obtenta li-
 centia et quum Patavium venisset, receptis universis, quae secum attulerat et quae
 in Italia coemerat, bonis Veronam versus iter festinus direxit, ut qui per Triden-
 tum et vallem Athesis ad Inum transire decreverat, unde conscensa navi in Da-
 501 nubium navigans Viennam denique perveniret. Tenuisset proculdubio proposi-
 tum, nisi tabellarius quidam caesaris ex Verona veniens hunc se obvium habuisse
 dixisset, tunc enim duo post equites cum familia missi sunt, qui non longe a Tri-
 dento ipsum comprehenderunt, vinctumque duxerunt Venetias, ubi omnia, quae
 502 supra memorata sunt, sponte confessus est, suaque manu conscripsit. Ibi primum
 casus hominis ad meam notitiam venit, nam caesar me vocans cuncta mihi expo-
 suit, voluitque meas in manus hominem dare, quia sedis Apostolicae legationem
 in Austria me nosset habere, indolui certe adversam amici fortunam, Caspare
 multis iam annis amicissime usus eram, rebarque virum bonum esse et omni be-

500 Veronam b Veronem

nevolentia dignum, exhorruui ergo, quum intellexi, quae de ipso narrabuntur, multumque mecum ipse accusavi conditionis humanae defluxum, quae nihil certi, nihil fixi habet, caduca et fluxa omnia sunt, hodie laeti sumus, cras moesti erimus, modo sublimes, modo infimi repperimur, caesari autem respondi auctoritatem inibi nullam apud Italos esse, utque misericorditer ageret, cum presbytero porrexi
503 preces. Ductus est deinde ad Novam Civitatem Caspar, hic rursus requisitus sum hominem ad me recipere iudiciumque super huiuscemodi criminibus agitare, gravis res mihi visa est, at quum legati auctoritate fungerer, non videbam, quo pacto caesaris petitionem recusare possem, habita vero deliberatione iudicem me dixi futurum, si rite et iuxta canonicas sanctiones procederetur, personam autem
504 rei nolui custodiendam assumere, qui non haberem locum, in quo eum opportune recluderem. Placuit caesari responsio mea, qui neque se plus velle ait, quam sacri canones ordinarent, adductus est autem semel ad praesentiam meam Caspar praesente notario mareschallo et Procopio equite Boemiae, qui ultro sese peccasse confessus universa, quae supra de ipso scripta sunt, ex ordine confirmavit, et acceptans me sibi iudicem deputatum, ut sui miserer, seque caesari commendarem, cum multis lachrymis flagitavit; iussi eum boni esse animi, quia quantum
505 honestas pateretur, saluti suae consulerem. Post haec reclusus est in carcere non squalido aut tetro sed lucido et spaciose quamvis securo et optime munito, ibi et locum secessus habet et plumas, in quibus iacet, et breviarium, per quod oret, cibus ad eum bis in die defertur, ex his bibit et comedit, quae familiae caesaris apponuntur, fateor, misera vita est, sed hanc frequenter suis delictis homines asciscunt. Iudicis in eum non principis habeo potestatem, legem me scriptam non meum sequi arbitrium convenit, quod si libera mihi potestas esset, quum sim ego peccator in conspectu dei dignusque gravi fulmine, praestarem me Caspari, qualem mihi vellem deum esse. Nec difficilis veniae reperirer, cuius dies noctesque
507 indigentem me non scio, at modo iudex ligatas habeo ad leges manus, neque saevire in Casparem debeo, neque illum per indulgentiam impunitum remittere, dum pars est, quae iudicium petit. Facio igitur (nisi fallor), quod mihi incumbit, eapropter vellent aliqui, qui caesari proximiores sunt et in consilio primi, Casparem torquere, ut plura confiteretur, idque per me sibi licere deprecant, negavi me quicquam permissurum, nisi quod iudiciarius ordo requireret, sic homo usque in hanc diem intactus est, quamvis sua culpa custos eius capite plexus sit, quem ipse
509 ad relaxandum sese induxerat. Inter haec habiti sunt quam plurimi tractatus pacis cum Australibus, modo rex Ladislaus, modo Ungari, modo Boemi liberationem eius efflagitarunt, quibus homo neque negatus est, neque concessus. Mihi, dum talia pendent, non est visum expedire aut officii mei sollicitare processum, taceo igitur, neque plus quaero, quam queror, caesari tamen saepe, ut captivi misereatur, verbum feci, quem libenter extra miseriam viderem, tum sui, cui exceptis
511 criminibus faveo, tum propter me, ut onus hoc non leve deponerem. Sic res in hunc usque diem deductae sunt, si sum culpa dignus, acre tuum iudicium excutiat; male (ut arbitror) mecum agunt, qui mihi in hoc negotio, qui tuis vel modicum imputant, redduntque pro bono malum dicentes, lucem tenebras et tenebras lucem; veritas tamen enatabit, nec me, reor, falsa calumnia opprimet, sum mihi
512 conscius, et quicquid reliqui sentiant, gaudeo conscientia mea. Haec volui ad scripta tua dixisse, quibus me nonnullorum vocibus male notatum scribis, si quae dignationi tuae deinceps incusaverit, habebis, quae possis pro defensione mea
513 obiicere, spero autem, quia non cuique mihi detrahenti credas. Quantum vero ad

literas sacri collegii attinet, ego illas divo caesari reddidi, et quae visa sunt ad rem addenda verba, bis terque subiunxi, maiestas sua deliberaturam se ait et sacro-
514 sancto senatui, quae meliora cogitaverit, responsuram. Haec Sylvius ait ad Firmanum; quam amice se gessit erga paedagogum, late tradit, et quid famae sinistrae pure agentibus solet contingere, nomen quoque paedagogi Ungariae regis habes, fortunam et facinus, ex quo supplemento Ungarica historia hoc in loco magis ampla reddita est.

516, 517 Pagina 492. versu 25 [3.8.124.]: „fidendum esse potius“. Quid? Qui iam ut Christianus moritur, de fortuna sua confidere iuberet, quum omnes adhortatur, ut
518 suo exemplo divinum numen reveantur, quo nunquam ipse destitutus sit? Nihil profecto fortunae suae tribuit fidei Corvinus, sed is, quod virtus peculiare habet, suo exemplo ad benefacta allicere posteros, quae virtutem comitantur, ostendit, scilicet invidentiam, nam quum virtus honorem, honor parit invidiam, praeclaris et sapientibus quam haec nihil suavius; hinc illud Pindari:

*ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει
μάλιστα ἑσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.
ἀλλ' ὁμως, κρέσσων γὰρ δικτιομῶν φθόνος.*

519 Tale est, quod ingemens ille Capistranus infra exclamat [3.8.141.]: „Invideo, Corvine, morti tuae“, tale, quod confitetur Ladislaus de ipsius morte inquires: „Corvinae sorti invidendum congratulandumve potius quam indolendum“, tale, quod Caesar dicit de Catone mortuo: „Tibi pro morte invideo, Cato, qui mihi pro salute invidisti“, quid aliud erat, quam Caesarem aegre ferre mortem Catonis liberam? De alienis bonis moeror est invidia. O Christe, utinam bona fiducia omnes
520, 521 sic nos contingeret mori, nempe ut firma et solida in te spe ita mortem posteris ostenderemus nostris praeclaram, ut quod nobis inviderent, quod a patre promissum a te sanguine precioso coemptum regnum illis praeoccupare videremur,
522 me Hercle, in vita mortui tibi essemus omnes! Sed vereor, ne vivi, non tibi, non seculo, sed mortificati simus magna ex parte peccatis nostris, tu illumina, qui tenebris omnibus excutis.

523, 524 Pagina 526. versu 19 [3.10.126.]: „mox in Telephum et Axamithum“. Promiseram in secunda decade me nonnulla additurum de Axamitho, ut de homine hoc
525 lector aliquid habeat, de quo Pius ita: Novus latro nova praelia miscet, nempe inter montes et sylvas, quae Poloniam Ungariamque disterminant, diu latrocinatus est Boemus quidam obscura domo vilibusque parentibus ortus sed audax homo, manu atque ingenio promptus, laboris patiens periculique contemptor, cuius multa facinora referuntur, qui quum sericam diploidem domino, cui serviebat olim, furatus esset, cognomento Axamit appellatus est, quod latine villosum sericum sonat. Hic postquam Giscram Scepusio amotum audivit, terramque milite
526 vacuam agnovit, congregata non parva latronum manu quasi in eius locum suffectus regionem invasit duabusque arcibus natura et arte munitis partim vi partim dolo receptis, mox ruricolos in apertis villis commorantes ferro atque igne deteritos ministrare victui necessaria, pecunias dare menstruas, ad omnemque nutum praesto esse coegit, quumque munitiones aliquot locis opportunis construxisset

518 ἑσλοῖσιν b ἑσθλοῖσιν

519 congratulandumve b congratulendumve

atque in his praesidia collocasset, civitates quoque munitas sibi tributarias reddidit, deinde astutus homo, quia in potenti regno diu grassari sine magnis copiis se non posse intellexit, ad ingenium Boemicum rediens pulchram fallaciam commentatus est, quam latrones universos ex proximis regionibus ad se traheret.

527 Omnibus enim, qui sub eo militare vellent, stipendia publicavit, homini equestri in hebdomadam aureum nummum, pedestri mediam partem ac tributorum et spoliolorum omnium aequam cuique distributionem, quicquid enim ex tributis rapinisque corraditur, in communi reponitur, quumque praefinitum divisionis adest tempus, emerita cuique stipendia persolvuntur, quod superat, viritim dividitur, atque ut mos Boemorum est ad evangelii corticem cuncta referre, tantum consequuntur, qui ultima die mensis in societatem belli veniunt, quantum, qui mensem integrum arma tulerunt, sic enim evangelium velle ait, in quo ultimi venientes, qui

528 prima hora venerant operarii, comparantur. Qua re cognita omnes, quos flagitium egestas conscius animus domo protulit, ad Axamit confugiunt, ex quibus ille iam quinque millium pugnatorum conflavit exercitum, ac iam non Scepusinis tantum sed universis Ungaris terribilem formidabilemque se praebet, neque Ioannes Hunyad gubernator huius hominis impetum compescere potest, qui etsi maiores saepe motus sedaverit maioresque hostes regnum ingressos deleverit, non tamen modo latronis huius obviare conatibus audet, cui et nonnulli regni barones clam manus porrigere perhibentur, quibus gubernatio Ioannis diuturnior graviorque

529 videtur. Ob quam rem interpellatus est Ladislaus rex, ut in Ungariam adversus latrones proficiscatur, nisi regni magnos motus subditorumque varias clades audire velit, hic autem, etsi Boemis iturum se Pragam promiserit, tamen quia maiori pericula prius occurrendum putavit, exercitum tota Austria atque Moravia congregari mandavit publice dicitans adversus Axamit personaliter se velle proficisci. Persuaderi tamen populo suo non poterat regem puerum adversus latronem

530 ductare exercitum, sed opinabantur nonnulli hanc esse comitis Ciliae et Ioannis gubernatoris Ungariae technam, qui pacem cum caesare tractatam habere ratam nequaquam volunt, nec militem congregare possunt cupientibus ocium Australibus, ideo quasi Axamit exterminaturi ingentes habere copias studebant, quas

531 congregatas in caesarem verterent. Quidam vero altiori consilio rem pensitantes in caput Ioannis cudendam fabam existimabant, qui parum regi paret, nec amplius quam viginti quatuor milia florenorum (ut aiunt) in annos singulos regali aerario contribuit, quod supererat, sibi retinet, regnumque pro suo arbitratu gubernat hunc extollens, illum humilians, ut imperium apud eum, regni titulus apud Ladislaum esse videatur. Iudicabant igitur aliqui comitem Ciliae locum eius appetere,

532 neque posse ad eum pervenire, nisi Ioannem fraude circumveniat, eum igitur conventum esse, ut convocentur omnes ex Ungaria, Austria Moraviaque barones in exercitum ad praesentiam regis causam convocationis Axamit abunde praebere non posse, Ioannem non comparere, comparentem autem in vincula recipi, compellique regni quaecunque bona sibi usurpaverit, regi reddere, tumque comitem voti compotem fieri, quae res mihi haud vero similis esse visa est, neque enim facile decipi gubernator potest oculatus homo et amicis prudentibus circumdatus, frustra quippe iacitur rete ante oculos pennatorum. Utcunque foret,

533 Australes insidias veriti sine conventu terrigenarum delectum habere militum

528 Hunyad **b** Himyad

530 populo suo **b** populo tuo

- negaverunt, comes autem, qui multis non ignorat invisum se esse, congregatio-
 nem multitudinis veluti pestem vitavit, ne ut ante caesaris sic et tunc suum iugum
 excuteret, itaque carere exercitu maluit quam convocando populum regimen
 suum in dubio ponere, ne tamen nihil omnino fecisse videretur, mercenarios mi-
 534 lites aere publico mille conduxit atque in Ungariam misit, qui se copiis gubernato-
 ris adiungentes in Axamit vaderent. Quomodo autem res acta inter illos sit,
 535 nondum exploratum habeo, timendum est, ne fortuna latronibus faveat, ut saepe
 malis quam bonis est melior. Iterum habes, amice lector, ultimum supplementum
 historiae Ungaricae, quod magis pro coronide et appendice haberi potest quam
 pro annotatione, plura et puriora daturus eram, si temporis angustia tulisset.
 536 Quidam forte erunt, qui ut lucernam non olentia nostra probabunt, sciant tamen
 quaedam festinando omissa et quaedam sponte commissa, quamadmodum de
 parasiti vocabulo, quod hic libuit terminare, ut sycophanta Turca ducens
ἐξηγητικῶς lepidam hanc dictionem non a vocabulo *σίτος* frumentum proprie
 denotante sed a *σίτα* cibaria generaliter indicante, parasitus non solum mendice
 537 panem quaeritat, verum et lautas patinas tumentesque peras. Nil certius quam ex
 tempore nostra emissa et errasse nonnunquam, ut habes circa finem decadis se-
 cundae, ubi impressum est „libertatem dilatat“ pro „liberalitatem dilatat“, sed
 haec quivis humanus lector facile supplebit.
- 538 Decas haec tertia foemineum imperium habet, Turcarum in Ungariam primas
 eruptiones capit, Hussitarum negotium, Austriacorum et Pannonum inimicitias
 ostendit; quicquid reges et imperatores, quid principes confecerint, habes; ac ad
 539 layzae pugnationem usque Mathiae gesta rite continet. Quae quum ex bonis au-
 thoribus (ut par fuisset) institutum erat meum prosequi, temporis (ut dixi) penu-
 ria obstitit, ego autem Brennero aliisque doctis, si quid mihi in historia concedunt,
 quum tempus feret, aut in annotationum auctione aut in peculiari libello, quod de
 540 imperatoribus Austriacis dudum auspicatus sum, absolutis Strategematum chi-
 liadibus Mathiae vitam describendam me recipio. Consulant interim operam
 meam boni, qui rei publicae causa bona imitari solent potius quam carpere.
- 541 Annotationum finis.

VI. Basilius Fabricius de Szikszó: Praefatio, Claudiopoli 1. Decembris 1565. Legitur in editione c (foll.) (2r-) (6r)

- 1 In inclyti Matthiae Hunnyadis regis Hungariae augustissimi historiam ab Antonio Bonfinio conscriptam Basili Fabricii Szikszoviani ad candidum lectorem praefatio.
- 2 Pindarus poetarum apud Graecos eminentissimus plurima quidem non sine divino quodam et inimitabili sublimis ingenii spiritu cecinit saluberrima vitae monita, sed illud inter caetera memoria dignissimum videtur, quod Pythiorum oda prima pientissime scriptum reliquit inquires: *ἐκ θεῶν μαχανὰ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταίς, καὶ σοφοὶ καὶ χερσὶ βιαταί,* quo significavit non solum excellentium virtutum effectorem omnem ex deo proficisci, sed sapientes quoque ac manibus fortes viros divinitus donari, eorumque gubernationem tunc esse salutarem, cum

2 θεῶν c θεοῦ

- 3 divina ope reguntur, iuvantur et conservantur. Fateri coacti sunt enim saniores etiam apud ethnicos non casu aut temere nasci imperia, imo nec initia, nec curriculum imperiorum esse felix, nisi personae divinitus constitutae sapientia ac virtute armentur, successu in rebus gerendis ac in toto gubernationis cursu a deo
- 4 ornentur. Sed multo certiora et illustriora tam de origine quam de dignitate ordinis politici doctrina coelestis suppeditat nobis testimonia, cum docet omnem potestatem ordinatam deum agnoscere autorem, ab ipso regna constitui, administrari, transferri, ac pro liberrima eiusdem voluntate imperiorum durationes, metas variasque vices dispensari.
- 5 Elucet autem vel in constitutione regiminis politici singularis dei sapientia et nunquam satis aestimanda bonitas, quod homines coelestis illius lucis participes non passus ferarum ritu passim vagantes agrestem et beluinam vitam traducere certis legibus in hac societate civili coniunctos degere voluit, ut de religione, virtutum intellectu aliisque honestis vitae officiis, artibus item ad vitam tuendam necessariis per communicationem sermonis se invicem instruere possent, ad legisque divinae normam totius vitae cursum instituere. Nisi enim hunc ordinem deus in natura sanxisset, nec de conditore, nec de ipsius voluntate, nec de ulla honesta vitae moderatione informari posset genus humanum, in vita praeterea quam horribilis esset confusio, nullae leges, nulla disciplina, nullus iusticiae cultus, scelerum denique omnium infinita grassaretur licentia. Vult ergo deus rationalem naturam, in quam ordinis transfudit noticiam, ordinate quoque vitam regere, potestatem ab ipso constitutam revereri, illi parere, nec furenter hunc ordinem divinum mandatae obedientiae petulanti detrectatione conturbare. Vult etiam magistratum memorem functionis suae, custodem esse legis ab ipso traditae, propagare religionem, tueri leges, pacem ac tranquillitatem publicam colere, sontibus terrori, innoxii honori praesidere, denique pulcherrimam istam ordinis harmoniam in natura ad societatem amandam condita conservare.
- 9 Cum autem diabolus optime intelligat, quantum boni sit in ordine politico, hostis omnis constitutionis divinae infensissimus excitavit omnibus temporibus sua organa fanaticos et turbulentos homines, per quos pulcritudinem huius concentus deformare, nervos politici regiminis labefacere, extremamque omnium bonarum
- 10 rerum dissipationem in imperiis efficere conatus est. Hinc natae sunt semper prodiones, nefariae seditiones, factiones, coniurationes adversus magistratus legitimos, quibus hoc opus dei ordinatissimum Satan rabiose saeviens dissolvere aut evertere conatus est. Nihilominus tamen deus custos suae institutionis ac vindex conservavit ordinem a se institutum, illiusque turbatores punit semper severissime, sicut omnium aetatum historiae poenarum atrocissimarum in violatores politici ordinis exempla proponentes luculentum ferunt testimonium.
- 12 Non solum autem in ipsa constitutione sed in modo etiam et ordine, quo deus in electione personarum, quas imperiis praeficit, procedere consuevit, peculiaris ipsius providentia ac extra usitatum humanae prudentiae cursum posita sapientia
- 13 conspicitur. Diversam enim plane rationem sequitur iudicioque carnis absurdam
- 14 in personis ad gubernacula publica deligendis. Nam mundus ut in aliis rebus omnibus ita in electione magistratuum externum potissimum spectat splendorem, ac si quos videt opibus, potentia, autoritate ac clientelis multorum populorum subnixos, in iis plurimum collocat praesidii, iis se submittit, hos suspicit, adorat atque

6 praeterea c praererea

15 ab iis vitae et fortunarum sperat patrociniū, hos denique, qui in summum hu-
mani generis fastigium subvehantur, dignos iudicat. At deus contra hanc mundi
sapientiam non claris natalibus illustres, non opibus et dignitate praecellentes vel
aliorum externorum praesidiorum fiducia inflatos solet eligere, sed saepe infimo
16 loco ortos, coram mundo despectos et, ut psalmus loquitur, pauperes ex stercore
erectos collocat cum principibus populi, sicut olim exempla Ioseph, Iephtae, Da-
vidis, Danielis, Cyri, Romuli et plurimorum aliorum ostendunt. Huc pertinet et
Matthiae Hunnyadis regis Ungariae, de quo pro ratione praesentis historiae
praefari decrevimus, exemplum memorabile, qui quamvis ex Iohanne Hunnyade
heroe praestantissimo natus splendore generis esset clarissimus, tamen partim ex
recondito quodam voluntatis arcanae, qua deus res humanas moderatur, decreto,
partim etiam procerum quorundam paternae gloriae invidentium insidiis cum
impeteretur, ex sublimi fortunae florentissimae fastigio violenter deiectus in car-
cerem teterrimum praecipitatur, ibi cum aut fraterno cruore madentem horret
gladium, aut perpetui carceris metuit squalorem, subito (miram humanorum ca-
suum vicissitudinem aspice!) in regni Pannonici culmen ex paedore carceris ex-
tollitur, ac qui paulo ante captivus de ipsa vita periclitans extrema quaeque omni
humano destitutus praesidio metuit, in solio Pannoniae paulo post conspectus di-
vina benignitate arduis semper ipsius aspirante conatibus eo magnitudinis pro-
cessit, ut omnes sui temporis reges potentia, felicitate rerumque gestarum gloria
facile vinceret.

17 Constat autem Matthia rerum potente imperium Ungaricum in summum
evectum fastigium adeo, ut cum omnibus Europae provinciis et amplitudine et
18 fama nominis posset contendere. Rex enim Matthias superiorum omnium Pan-
noniae regum gloriam virtute incomparabili non solum adaequare sed superare
etiam regum ducens, cum generosos heroiçi animi spiritus spe quadam non dubia
futuræ magnitudinis concepta aleret, nihilque humile aut infra sui animi celsitu-
dinem positum cogitaret, sed omni occasione aeternum nomen tam sibi quam
suae genti parare cum meditaretur, nihil eorum nec bello nec pace praetermisit,
quae ad avitum Pannoniae decus non solum tuendum sed illustrandum etiam per-
19 tinerent. Eminebant in eo dotes principe dignissimae, ardens religionis studium,
amor iusticiae, clementia in subditos cum iusta severitate temperata, industria in
rebus gerendis acerrima, pacis et concordiae publicae studium perpetuum, vigi-
lantia in defensione regni mirifica, in reprimendis seditiosis ac publicae quietis
turbatoribus celeritas admirabilis, in hostibus, a quibus lacessitus fuerat, ulci-
scendis digna magnanimo principe constantia, moderatio et comitas in domestica
20 vita commendabilis. Denique artibus pacis et belli ornatissimus ac iuxta Aristo-
telem *φιλήσυχος καὶ δραστήριος*, nam pace quidem et tranquillitate patriae nihil
unquam antiquius habuit, sed ubi quid necessario pro re publica agendum erat, et
21 animo et corpore fuit promptissimus. Liberalitas praeterea in excitandis, fovendis
ac ornandis bonarum artium studiis eximia, amplissimis enim stipendiis propositis
liberalium disciplinarum professores ex omni Europa invitatos munificentia vere
regia ditare pergens perfecit, ut studia artium humaniorum omnisque philoso-
22 phiae Pannonae etiam excolere certatim inciperent. Bibliothecam quoque Budae

16 quaeque c quaeque

19 religionis c religionis

20 *δραστήριος* c *δραστήριος*

- inaestimabili sumptu ex omnibus terris (sed praesertim ex Graecia iam a Turcis vastata) conquisitis veterum scriptorum Graecorum, Latinorum et Hebraicorum monumentis adornavit copiosissimam, qua instructiorem tota Europa vix habuisse dicitur. Hinc multi utiles Graeci autores nusquam alibi reperti prodire. Gentem etiam Pannonicam ab asperiore et agrestiore vita ad cultiorem et humaniorem traductam omnium rerum ad victum et cultum necessarium copia ditavit (nisi quod propter continua bella, quibus subinde a Turcis impetebatur, in exigendis tributis paulo fuit gravior), ut non immerito dictum sit ex regno Ungariae plumbeo Matthiae industria aureum fuisse redditum. In summa vere congruit in eum illud Homeri praeconium: ἀμφοτέρων, βασιλεύς τ' ἀγαθός κρατερός τ' αἰχμητής.
- 23, 24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
- Accendit etiam populorum omnium finitimorum erga se studium et amorem, cum omnibus officiis ad Christianam praesertim rem publicam spectantibus devincire illos sibi conaretur. Unde factum est, ut ipsius amicitiam summi Europae principes amplissimis missis legationibus certatim expeterent et tanquam praecipuum Christiani nominis adversus Turcam defensorem devenerentur.
- Ac certe, si verum ingenue fateri placet, Matthias unus fuit ex praestantissimis in humano genere viris, quos deus inde ab initio ad curam propagandae religionis, restituendam disciplinam, pacem tuendam, tollenda latrocinia et alias res bonas humanoque generi necessarias restaurandas excitare fuit solitus. Virtutes enim quascunque requiras, quibus prisci illi heroes per totum orbem celebrati immortale nomen etiam apud posteritatem consecuti sunt, paucos reperias Matthiae Hunnyiadi praeferendos, ut iure deplorandum sit tam excellentem virtutem adeo angustis huius vitae caducae limitibus circumscriptam. Sed sicut nihil est in rebus humanis constans et firmum, nihil stabili floridae prosperitatis vigore perennans, sed omnia fatali quadam lege perpetuis agitantur naturae decrescentis vicibus, ita imperiorum etiam sua sunt fata, suae definitae periodi, quibus peractis ac ad suos terminos devolutis paulatim omnia deflorescere, enervari ac ad interitum vergere incipiunt. Testantur id historiae omnium temporum a prima inde mundi origine repetitae, ex quibus 500 praesertim annorum circuitum magnas mutationes aut universales regnorum translationes excepisse longa constantique observatione compertum est. Ac ut exterarum gentium exempla brevitatis causa praetereamus, regnum Ungariae circa annum Christi millesimum primum coepit efflorescere Stephano primo rege rerum potito, inde quingenti circiter anni ad Matthiae regis obitum, qui incidit in annum Christi 1490., numerantur, quo imperante Pannonicam potentiam ad ἀκμήν progressam in matura quasi et vegeta aetate constitisse vigoremque praeteriti temporis longe vicisse constat. Hinc conversis fatis a culmine declinare, in peius paulatim ruere ac retro sublapsa referri coeperunt omnia adeo, ut vix extrema iam lineamenta floridae illius ac vigentis aetatis in hac languente enervataque senecta appareant.
- Deploranda est sane rerum humanarum instabilis ista et continuis vicissitudinibus obnoxia conditio, quod non urbes tantum potentissimae sed regna etiam florentissima tam contractis paucorum annorum sunt terminata spaciis, quibus circumactis a suo vigore delabi, sensim marcescere ac tandem funditus concidere soleant. Haec spectacula de providentia dei in dispensatione rerum humanarum admirabili ac de ira eiusdem adversus peccatum severissima nos commonefaciant, oportet. Sicut enim imperia non humanis consiliis constituuntur, nec viribus con-

25 τ' ἀγαθός e τ' om.

servantur, sed a deo colliguntur, sustentantur ac donec mediocrem aliquem statum retinent, ab eodem proteguntur, ita ipso ista disponente fatalibus ingruentibus mutationibus vel in peregrinorum potestatem traduntur vel funditus destruntur. Accersunt autem has clades imperiis plerunque hominum scelera, quibus deus irritatus tandem furorem irae suae iustissimum solet in gentes peccatrices effundere, sed praecipue idolatriae, tyrannides et libidines, quae ipsa vitia quoties in aliqua gente dominari coeperunt, magnis mutationibus aut eversionibus imperiorum certissimam occasionem dedisse legimus, cuius rei varia exempla congerere in promptu foret ex historiis et sacris et profanis. Sicut enim verus dei cultus, iusticia et verecundia stabilit regna et thronos regum confirmat, ita contraria vitia non dubiam ruinam imperiis solent attrahere. Ac ne longe exempla petantur, nostrae etiam patriae calamitosissimae has easdem causas tristissimam istam dissipationem ac excidium deplorandum peperisse non est dubium.

Caeterum quamvis in poenis fatalibus haereat Hungaria ac iustissimam dei iram multipliciter irritaverit et adhuc idem facere non desinat, tamen neminem tam rigidum censorem de causis nostrarum miseriarum futurum iudico, quin fragilitatem rerum humanarum quasi in se paululum descendens in hac imagine nostrorum malorum expendat, ob iram dei adversus peccatum serio expavescat vitamque corrigere studeat, ac insuper memor meritorum, quae nostri maiores toti Europae multos annos praestiterunt constantissime hostem vicinarum gentium cervicibus incumbentem suo sanguine repellentes, nostram vicem non doleat fortunamque gentis fortissimae eo iam recidisse, ut hosti, de quo trophaea victoriarum praeclarissimarum erexit plurima, iam servire ac extrema quaeque pati cogatur, non deploret. Meruerunt quidem nostra flagitia istas et multo atrociores poenas, verum calamitatis nostrae consideratio commiserationem potius apud vicinos conciliare nobis debebat, quam ut in alta (ceu sibi videntur) adhuc pace securi malis nostris acerbe insultando dolorem dolori adderent.

Celebris est memoria Caroli Martelli, quod ante quingentos et amplius annos Saracenos ingenti exercitu in Hispaniam infusos vicinisque provinciis formidabiles deleverit, tantoque periculo Italiam, Galliam et Hispaniam, quae regna haud dubie tunc magnum erant aditura discrimen, liberaverit. Nihil quidem herois fortissimi laudibus detractum volo. Verum ut vetustiora nunc taceamus, nonne meritum Iohannis Hunyadiis patris Matthiae in totam Europam extitit clarissimum grataque totius posteritatis praedicatione ornandum, quando Amurathen et Mahometum, duo fulmina Europae, iam instructissimo exercitu vicinae Germaniae ac Italiae incumbentes repressit ac ita cohibuit, ut illos ab incepto absistere cogeret, omneque periculum istarum impressionum sua virtute a vicinis averteret. Hic certe dux nisi tanquam murus quidam aeneus iis duobus imperatoribus Turcicis illo tempore obiectus fuisset, iam tum fortasse de tota Europa actum fuerat. Praeclaram etiam laudem meruit, cum Belgradum arcem ad confluentem Savi et Dravi sitam furenter oppugnantibus eam Turcis magno animo protexit, multaque illorum millia in ipsis fossis prosternens obsidionem solvere (paulo post ex labore ipse quoque extinctus) coegit. Vicies iusta acie cum Turcis arma semper victor contulisse legitur, nec unquam nisi bis tuncque militum inopia victus.

36 proteguntur e ptoteguntur
39 tristissimam e tristicimam

48 Quid de Matthia Hunnyiadis filio rege fortunatissimo et ad Turcicam tyranni-
49 dem evertendam nato dicam? Qui initio statim regni nondum confirmatis adhuc
in illa procerum distractione imperii viribus variis quidem bellis sed Turcico om-
nium periculosissimo exceptus non solum fines suae ditionis strenue contra in-
50 cursus ferocissimorum hostium tutatus est, sed a finitimis etiam populis omnem
impetum hostilem propulsavit. Ac nisi praeclarissimi et toti Europae salutares
conatus ipsius tristi universi orbis Christiani fato partim artibus Romani pontifi-
cis, partim vicinorum etiam principum machinationibus impeditus fuisset, res
51 longe maiores et utiliores fuerat gesturus. Sed sicut excellentem virtutem semper
comitatur invidia, et vicini indigne ferunt crescentem vicinorum potentiam,
eamque partim insidiosis et occultis molitionibus premere partim aperta etiam vi
debilitare et infringere conantur, ita Matthiae etiam regi ab iis ipsis, qui iuvare
eius consilia et propositum debebant, varia saepe sunt obiecta impedimenta, quae
ipsius cogitationem a studio bene merendi de orbe Christiano cum maximo fini-
52 timarum etiam provinciarum malo averterunt. Sic postea ipso extincto ferocien-
tibus magis Turcis Pannonia a vicinis penitus deserta novisque subinde cladibus
attrita deficere coepit, sic inde exagitata et confecta partim externis partim inter-
nis etiam bellis eo redacta est, ut aegre languentem iam ac pene exhalantem trahat
spiritum.

53 Atque utinam vel nunc vicina Germania, quid afflictissimae et iam animam
agenti debeat Pannoniae, secum reputare volens illos labores ac discrimina, quae
haec gens pro vicinorum salute et incolumitate promptissimo animo subire non
recusavit plurima, expenderet, aut si nullam plane iam meremur misericordiam,
vel vicino tandem malo sapere incipiens suis etiam rebus non certe extra metum
iam iam imminenti periculo positus consulendum esse cogitaret, ac ad hoc com-
mune incendium, quo nos iam plane conflagravimus, restinguendum coniunctis
54 animis cito accurreret! Vereor enim, ne haec flamma latius serpens vicinam
quoque propediem correptura et devoratura sit Germaniam, quod ut deus cle-
mentissimus prohibeat, hospitiaque suae ecclesiae aliqua in his et vicinis regio-
nibus ex immensa bonitate conservet, toto pectore oro.

55 Proinde ad vos iam, Ungariae proceres, quos vel hostilium armorum saevicia
vel tot bellorum civilium lanienae adhuc reliquos fecere, sermonem converto, ac
per salutem iam ruentis patriae obtestor, ut tandem furentibus istis factioni-
bus vos conficere, reliquiasque Pannonicae gentis tanquam Cadmei fratres ra-
56 biose in viscera vestra grassantes ad interneconem usque persequi desinatis. Si
turpitude harum dissensionum damnaque distractionibus istis tristissimis, quae
vobis conciliastis irrecuperabilia, ad saniora consilia capienda vos non flectunt,
nec vastitatis provinciae, nec tot caedium vestrorum fratrum miseret, proponite
vobis pro exemplo invictam vestrorum maiorum concordiam et in tuenda patria
57 sanctissimam hostique formidabilem animorum coniunctionem. Omne regnum in
se divisum desolandum esse praedixit salvator noster, cuius oraculi veracitatem
utinam alienis potius et non tristissimis nostrorum dissidiorum cladibus didicis-
58 semus! Ut privata et publica mala, quae ex teterrima ista et ferinae cuiusdam
truculentiae plena discordia accepistis (nam vel memorasse refugit animus), ta-
ceam, nonne iudicia vicinorum populorum verebimini, qui haud dubie intestinis
vestris dissensionibus magnam partem calamitatum, quibus premimur, et quidem

58 verebimini e verebimini

59 non immerito imputabunt. Extinctum certe iam est pristinum robur Pannoniae,
60 hostiumque potentia vestris discordiis ita crevit, ut videatur toti mundo insupe-
rabilis. Verum si ad concordiae studium tandem animus adiicientes deposita fac-
tionum alendarum immaniter nunc quoque in Ungaria desperatissima grassan-
tium libidine coniunctis animis, quantum boni sit in voluntatum ac studiorum
unanimes consensione, experiri placeret, deus procul dubio vestris aspiraret con-
atibus, ut tristissimam istam servitutem, quam vestri maiores suo sanguine a poste-
61 ritate propulsarunt, tandem cervicibus vestris excutientes in avitam vos ipsos, con-
iuges ac natos libertatem vindicaretis. Sicut enim priores triumphos inexpugna-
bile robur concordiae nostris maioribus peperit, ita non dubium est execrabilem
istam et omnibus diris devovendam furiam, discordiam nempe regnorum omnium
pestem nocentissimam, hoc excidium imperio Pannonico olim concordiae viribus
62 invicto attraxisse. Si quid ergo laude avita dignum unquam gerere cogitatis, si ex
his difficultatibus, in quibus nunc haeretis miserabiliter impliciti, evolvere vos
cogitatis, regnumque Ungariae pristino decori restituere, animorum consocia-
tione, factionum odio, concordiae amore, quibus rebus nostri maiores divino
63 adiuti praesidio res tantas pro patria gesserunt, opus est. Alioqui nullam unquam
64 spem melioris status concipere poteritis. Quin potius crescentibus odiis, dissidiis
intestinalibus, factionibus civilibus nostra quoque mala crescere, in peius multo res
65 Ungaricas ruere, ac tandem funditus perire necesse est. Quod ut deus pater mul-
tae misericordiae ex sua benignitate ineffabili avertat, animos principum ad pacis
et concordiae verum studium flectat, voluntates distractas coniungat, vulneraque
nostrae patriae exulceratissima humanis pharmacis immedicabilia ipse sanet,
quietem aliquam tam politicae quam ecclesiae clementer restituat, ardentibus votis
imploro.

66 Postremo quod ad institutam editionem attinet, autorem haec habet Antonium
Bonfinium, qui reliquam etiam Ungaricarum rerum historiam candore vere hi-
67 storico, fide integra, dexteritate mira orationisque mundissimae eleganti stylo
tribus decadibus multa cum laude persecutus est. Caeterum partim fatali quadam
temporum iniuria, partim etiam malignitate, nescio, quorum gloriae rerum a
Matthiae gestarum iniquius faventium hi sex libri (nam plures ad nos non perve-
nerunt, cum quatuor decadas autorem absolvisse constet) suppressi indignoque
68 carcere conclusi diu delituerunt. Nunc autem primum omnium industria labore-
que viri clarissimi domini Casparis Helti pietate, doctrina et ipsa canicie vene-
69 riti lucem aspicere incipiunt. Qui pro suo indefesso iniuvanda et ornanda Hunga-
rica gente studio indignissimum ratus hanc partem historiae patriae longe utilis-
simam lectioneque dignissimam in privatis tantum paucorum quorundam biblio-
thecis sepultam squaloreque diuturno et turpi situ tectam ingrate asservari in hac
etiam suae familiaris rei multis utilibus aliis editionibus attenuatae angustia hanc
partem quoque, quae in narratione rerum et domi et foris a Matthia rege gestarum
consumitur, typis suis evulgavit, quo herois fortissimi de Europa ac tota Christia-
nitate optime meriti monumenta sempiterna memoria dignissima ab oblivione
70 posteritatis vindicarentur. Quinque nihilominus annorum res gestae, quas autor
quatuor libris complexus fuerat, adhuc desiderantur, qui utrum alicubi extant,
71 nobis nondum certo constat. Exemplum, quo in ista editione usus est, unicum
habuit munificentia magnifici domini Michaelis Czakii conquisitum et pro incre-
72 dibili ac perpetuo in patriam studio communicatum. Sed id partim inscitia partim

oscitantia librariorum diversorum erat corruptissimum ideo, ut veritas lectionis
73 ubique restitui posset, plurimis in locis de sensu auctoris divinare collatis diligenter
praecedentibus et sequentibus necesse habuit. Qua in re quamvis et acumine in-
genii et dexteritate iudicii polleat plurimum, tamen saepe adhibuit amicos, cum
quibus hanc historiam aliquoties ab initio ad finem relegit accurate singula, quae
suspecta videri poterant, pensitando nihilque intactum relinquendo, si modo hoc
74 scriptum a quamplurimis mendis etiamsi non omnibus vindicatum prodiret
emendatissimum. Quamvis ergo nihil in hac parte diligentiae nec fidei desiderari
possit, tamen affirmare non ausim in hac exemplorum (unicum enim, ut diximus,
et id foede contaminatum habebatur) penuria, quin aliqua quamvis oculatum fu-
gere potuerint, cum praesertim multa, ubi alias tolerabilis sensus vix erui poterat,
75 corrigere non satis esset tutum. Ista enim audacia in alieno opere ad censuram sui
iudicii cuncta limandi, emendandi et pervertendi ab omnibus doctis iure repre-
henditur. Ut itaque lector ad eiusmodi loca, in quibus examinandis oculatiores
76 nos fuisse vellet, cum pervenerit, candorem et rectitudinem in iudicando afferat,
difficultatibusque huius editionis consideratis huic labori aequiorem se praebeat
iudicem, oramus.

77 Non defuturi sunt autem, scio, qui editionis etiam consilium tanquam nimis
praeceps et temerarium culpae gaudebunt obiiicientes non fuisse praecipitandam
tam arduae rei operam, donec plura et correctiora exempla nacti loca, quae in-
quinata transcribentium incuria vel imperitia videbantur, emaculari, perpoliri ac
78 nativae faciei possent restitui. Enimvero fateor optandam fuisse illam felicitatem
maioresque iniri gratiam potuisse, si omnia sanata ac suo Germano nitori resti-
tuta prodirent. Sed cum constaret multos iam annos hanc historiam consulto in
79 Germania suppressi, nec spes ulla certa daretur quenquam omnino ad publica-
tionem istam animum adiacere ausurum, et alioqui exemplorum manuscriptorum
notum esset magnam esse paucitatem, reverendus vir dominus Caspar Heltus
posthabita omni procrastinatione subire multorum morosiorum etiam calum-
niosa iudicia nihil veritus, ut vel hoc officio suam erga gentem Hungaricam affec-
tionem in hac senecta testaretur, nihil praeter commodum publicum in hac edi-
tione quaerens fortique animo aemulorum utiles aliorum labores maliciose car-
pentium criminationes contemnens huius editionis operam instituit, ut in his bel-
lorum civilium tumultibus suo loco posteritati etiam consuleret, quae virtute
suorum maiorum inflammata avitaeque gloriae memor exemplis optimis iisque
80 domesticis ad vindicandam a teterrima servitute patriam aliquando se exuscitaret.
Neminem ergo tam iniquum huius laboris censorem futurum cogitamus, qui con-
81 silium editionis carpere aut omnino in malam partem velit rapere. Quin potius
gratia habenda et reddenda quoque est honestissimo seni pro ista animi constan-
tia, quod utilissimam historiam in his etiam armorum strepitibus privato sumptu
in lucem edere suggillationemque multorum aemulorum subire non recusavit po-
tius, quam genti Hungaricae deesse ac tot fortissimorum virorum de orbe Chri-
82 stiano laudatissime meritorum trophaea sepulta iacere sustinere. Quod ipsum
candidos et aequos talium laborum aestimatores facturos non dubitamus, caete-
rorum Momorum insulsam et maliciosam sycphantiam nihil moramur.

83 Denique si auctor editionis hunc laborem non ingratum fore cognoverit, accen-
detur omnino, ut ex priori parte Bonfinianae historiae, quae antea seorsim tri-
ginta libris edita in omnium est manibus, resectis iis narrationibus, sine quibus

tamen series historiae rerumque maxime memorabilium annotatio extare potest,
daturus est operam, ut epitomen quandam historiae Hungaricae ab initio ad
Matthiae usque regis tempora conficiat, quo integram patriae historiam et qui-
dem quasi in fasciculum excerptis rebus memoria dignissimis contractam facile
84 cunctis liceat cognoscere. Quem laborem ut aliquis subiret, et propter editionis
85 expeditiorem rationem et impensae commoditatem multi iam optaverunt. Quod
restat, lector optime, ut conatus illorum, qui rem publicam suo loco quoquo modo
iuvare praesertim utilium historiarum publicatione moliuntur, boni consulas, illis
benigne faveas, ac huius etiam editionis autorem debito studio, gratitudine et
86 observantia prosequaris, tui erit candoris. Bene vale.
87 Claudiopoli in Transylvania, in gymnasio nostro, anno domini 1565. die 1.
Decembris.

VII. Basilius Fabricius de Szikszó: Epigramma, Claudiopoli 1565.
Legitur in editione c (fol. ()lrv) et in: Institutio de syllabarum et
carminum ratione... contracta a Petro Carolino scholae Claudiopolitanae rectore...
anno domini 1567. Claudiopoli in officina
Casparis Helti (foll. G2v–G3r)

Epigrammata in historiam Matthiae Hunnyadis regis Ungariae serenissimi
scripta in schola Claudiopolitana gratitudinis et observantiae ergo.

Laudes Pannoniae beatioris
Vultis discere qui vetustiores,
Pugnas, percelebres simul triumphos
Regum, sospitibus quibus vigebat
5 Virtus, florida fama, robur omne
Gentis Pannonicae, decusque coelo
Tollebat patulum vagans per orbem,
Laeti plaudite, prisca si quid ad vos
Patrum stemmata pertinere debent.
10 Qui iam degeneres, nihilque avitum
Spirantes animo magis ruinam
Vobis acceleratis imminentem,
Proni tenditis ad nocentiora,
Nullus dissidiis modus nec unquam
15 Mentem flectitis ad salubriora
Pacis consilia. An iuvat gementem
Bellis exagitare tam cruentis
Duros Pannoniam, salutis o vos
Obliti patriae duces ruentis?

83 tamen c tamem

Tit. **Inst.** Aliud viri doctissimi Basilii Fabricii Szikszai

1 Pannoniae **Inst.** Paeoniae / beatioris c beatores

2 discere c dicere

19 ruentis **Inst.** addit etc. desinit

20 Quare vel modo gratiam referte
 Viris fortibus, en precantur ipsi
 Maiores, meritis negasse turpe est
 Hoc patrum, monumenta quo legatis
 25 Grati, Tartareo recens ab orco
 Helti quae rediviva iam resurgunt
 Cura, non prius (heu nefas) videbant
 Lucem Cimmeriis ad usque claustris
 Furto degeneris reposta secli.
 30 Sed nunc, o proceres, iuuet disertis
 Heroum celebrata patriorum
 Cognovisse modis trophaea, florem
 Primaevum, Hunnyiadis simul potentis
 Immortale decus virens per aevum
 35 Matthiae, libeat sequi perennem
 Laudem, quam patriae reliquit ille
 Heros magnanimus, resurget olim
 Nostrum, credite, nomen ad priorum
 Laudum culmina. Sit modo voluntas
 40 Concors, sic deus adiuvabit ausus
 Vestros, libera Marte luctuoso
 Tandem tempora transigatis. Amen.

Basilii Fabricius

VIII. Michael Paksi: Epigramma, Claudiopoli 1565.
 Legitur in editione c (fol. ()lv)

Aliud.

Moeonio Phthius plectro celebratus Achilles
 Si meruit laudis posthuma secla suae,
 Si flos Aeneadum, Patavinae gloria gentis,
 Romuleis tribuit tempera longa viris,
 5 Sic quoque Matthias rex illustrissimus inter,
 Quot tulit, heroas, Pannonis ora, duces,
 Induperatorum tremor. Hunc Germania bellax,
 Coeli quadriuges et metuere plagae.
 Solus amans fidei, patriae defensor, avitum
 10 Fortunae vicit dexteritate decus.
 Unus Bonfinii meruit, quem, dextra diserti,
 Efficiat cunctos exuperare dies.
 Sed quid agis, livor? Clarum tot gesta virorum
 Quid iuvat exosis continuisse locis?
 15 Te, cunctis invise bonis, exterminat Helti
 Commissi vindex cura benigna senis.

Si claret pietate Biton, si iusta Cleobi
 Vecturae Iuno praemia digna dedit,
 Heltus erit patriae decor, ut qui secula scriptis
 Excitat imbelli praecipitata situ.
 Candida posteritas, longaeuos noscere cursus
 Si cupis Hunniacos, haec monimenta leges.

Michael Paxius

IX. Paulus Thúri iunior: Epigramma, Claudiopoli 1565.
 Legitur in editione c (foll. ()lv–()2r)

Aliud.

Pellaeo gratus iuveni si Choerilus olim,
 Aurea pro tenui carmine dona tulit,
 Si quoque Pelides rerum sortitus Homerum
 Scriptorem magni nominis instar habet,
 5 Tu quoque, Matthia rex, terque quaterque beatus
 Dicere, Bonfinius quod tua gesta refert
 Eloquio magnus, Latio sermone disertus,
 Qui colit Hunnorum bella, trophaea, duces.
 Summum Pannoniae celebravit quique patronum
 10 Matthiam, quanto munere dignus erit?
 Hoc opus autoris rerum bonitate redundans
 Dignum, caelicolis quod legeretur, erat.
 At livor, miseranda lues et raptor honorum
 Bonfinum fecit laude carere diu.
 15 Quem fatum tandem tenebris evexit opacis,
 Iussit et in tota posteritate legi.
 Ergo tibi munus quod dat, ventura propago,
 Heltus, inoblito pectore conde. Vale.

Paulus Turius iunior

X. Adamus Tordai: Epigramma, Claudiopoli 1565.
 Legitur in editione c (fol. ()2rv)

Aliud.

Aemathius peteret iuvenis cum littora Troiae,
 Dicitur egregias rore rigasse genas,
 Cumque propinquaret tumbae redimitus Achillis,
 Regia de summo pectore verba dedit:

5 „Salve, nate dea, salve, Pelea propago,
 Qui virtute tuum tollis ad astra genus.
 Te claro quondam cecinit pius ore sacerdos,
 Et tribuit laudi digna trophaea tuae.
 Felix, Smyrnaeus decorat quem carmine vates,
 10 Unde tuis gestis fama perennis adest.“
 Sic nunc Corvinae Matthias gloria gentis,
 Qui decus Hungariae lausque perennis erit,
 Qui Mahometigenos terrebat nomine Turcas,
 Bonfinii stabili iam celebratur ope.
 15 Cuius ut immensum percurrat fama per orbem,
 Aeterna Caspar pro pietate facit.
 Ergo deo gratus labor est hic et utilis aevo
 Et longa celebris posteritate fides,
 Qua monumenta sacri laudantur splendida regis,
 20 Quem celebret patriae Pannonis ora ducem.

Adamus Thordensis

XI. Caspar Decsi: Epigramma, Claudiopoli 1565.
 Legitur in editione c (fol. ()2v)

Aliud.

Sedula Peliden numeris nisi Musa dedisset
 Meonidae, moriens interiturus erat,
 Illustrique sua fuerat caritura corona
 Gens inopinatis dives Achiva bonis.
 5 Sustulit egregiam vates ad sydera gentem,
 Nobilis et ducibus Graecia semper erit.
 Graecia Meonidae faveat, gens Hungara linguae
 Bonfinii, Hungariae quae bona mille tulit,
 Corvino quoniam nati de stemmate regis
 10 Ausoniis docuit facta voluminibus,
 Melleus in quibus est liquor et dulcedo perennis,
 Caetera materia nobilitate manent.
 Si non ergo viri vigilata volumina tanti
 (Ut solet) invisos sunt subitura rogos,
 15 Flore virescenti solidae radice in omni
 Tempore, Pannonicae laus sua gentis erit.
 Affer ad hos igitur non invida lumina libros,
 Lector, et hinc quicquid sumpseris, usus erit.

Gaspar Decius

X.13 Turcas c Tureas

XII. Paulus Miskolci: Epigramma, Claudiopoli 1565.
Legitur in editione c (foll. ()2v–()3r)

Aliud.

Pannoniae quisquam veterum si facta virorum
Fortia, res gestas proavitaque regna tuentes
Scire cupit gestans animum curamque virilem,
Haec petat extemplo monumenta decora diserti
5 Bonfinii Hungariae memorantia bella virentis
Hunnyadisque simul praeclara trophaea potentis,
Qui velut occiduos inter nitet Hesperus ignes
Belligeros virtute valens Mavorte secundus.
Quae latuere diu tenebris abstrusa profundis,
10 Et viridem traxere situm per secula longa,
Ceu solet obryzum, fatuus quod rusticus, aurum,
Ignarus precii magnae telluris in alvum
Condit, et ignotum est, donec solertior illo
Advenit, et tectum magno cum foenore profert.
15 Sic modo Thespiadum non ultima fama sororum
Heltanus Caspar sanctae pietatis alumnus
Ingenio doctus, studio celer, arte peritus
Historiam veterum, famam lumenque virorum
Pannonicae gentis caeca caligine tectam
20 Restituit, Stygioque recens revocavit ab orco.
Scripta, ut veridico referuntur singula sensu,
Pinguntur varii casus funestaque fata
Heroum valido Martis splendore vigentum.
Et veteris fidei praeconia digna feruntur
25 Constantis, qualem totus nunc expetit orbis.
Unde viris spectanda forent, quid bellica virtus,
Quid valeat fortuna potens, quid dextra Tonantis.
Ergo erit a cunctis studium, solertia, virtus
Grandaevi laudanda senis, qui nobile solus
30 Inter tot strepitus armorum saevaque Martis
Praelia tantorum pondus tolerare laborum
Sustinet, et veterum recludit facta figuris.

Paulus Miskolcius

3 Scire c Seire
9 Quae c Qnae

XIII. Demetrius Hunyadi: Epigramma, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (fol. ()3r)

Aliud.

Semina iam longo minuuntur vivida rerum
Aevo, paulatimque labat iam prisca veterno
Aetatis facies. Quem tollunt bellica laude
Gesta? Quis Aonidum facundae Martis linguae
5 Mandat facta ducum, vel iam memorata revolvit?
Unus ab interitu Bonfinius ardua gentis
Praelia Poenoniae, domuit quae Turcica regna
Sub duce Matthia, tremuit quem vesper et ortus,
Vindicat, aeternaque vehit prope laude sub astra,
10 Cimmeria tamen, heu facinus, quam valle sepultus
Delituit multum. Nova tandem lumina cernit
Difficili magno cura revocatus ab Helto.
Ergo tuum, lector, fuerit non antea cusos
Hunniacos grata pervolvere mente labores.

Demetrius Hunyadius

XIV. Paulus Gyulai: Epigramma, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (fol. ()3v)

Aliud.

Graecia si merito vati gratatur Achoeo,
Pergama qui dubio carmine tota canit,
Euganea retulit laudem si cretus in urbe,
5 Qui Romanorum Martia gesta refert,
Gloria Bonfinii vigeat prior, aurea cuius
Litera Pannonicos tollit ad astra duces,
Quorum magnipotens genus et mirabile nomen
Turpe fuit longo delituisse situ.
Ergo opus Antonii, Caspar quod publicat Heltus
10 Ingenio, cura, sedulitate, fide,
Matthiam memorat felici sidere regem
Hunniaden, patuli qui decus orbis erat,
Quem Gades, Scoti, Ganges eous et Atlas,
15 Quem timuit vigili gens Agarena metu.

XIV. Tit. c deest, invenitur pro custode in fol. anteriore.

Non talem Babylon regem, non bellica talem
Aphrica, non Nili terra beata tulit.
Terruit hic rapido volitantem flamine mundum
Non secus ac summi fulmina dira Iovis.
Hic potuit Geticos invicto Marte tyrannos
20 Subdere servili colla nefanda iugo.
Hic vasto laetis gaudebat in orbe triumphis,
Cum Savus Hungariae, Dravus et Ister erant.
Quare age, magnanimi tot facta ingentia regis
Suscipe Pannonici turba relicta soli.
25 Non est heroum pietas contemnere laudes,
Virtutem, ingenium, coelica dona, fidem.
Fama tuae gentis vel celsa potentia quondam
Quae fuit, Antonii scripta diserta docent.

Paulus Iulensis

XV. Lucas Cracerus de Beszterce: Epigramma, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (foll. ()3v–()4r)

Aliud.

Quale tuum quondam vigit, gens Hungara, nomen,
Accipe, Bonfinii scripta probata docent.
Scribere venturi quem mens praesaga veterni
Corvini monuit celsa trophaea ducis.
5 Quae monimenta recens Caspar volitare per orbem
Iam dedit eximia cum pietate senex.
Unde sagax virtus Matthiae et gloria pugnax
Quae fuit aut magnum nomen in orbe, scies.
Pulvere quem putri positum debere fatetur,
10 His ducibus terrae redditus esse magis.
Quam cava Pirithous post rupta solutus amico
Tartara, quam Theseus Amphitroniadae,
Graecia Pellaei iuvenis facta inclyta laudat,
Romulus Italicae gloria gentis erat.
15 At, Corvine, tibi meritas non patria tantum
Debet amans grates sed mare, terra, polus.
Nam patriae poteras multis e millibus unus
Illustrasse decus pectore, Marte, toga.
20 Ergo ducum referunt quae nunc monumenta tuorum,
Accipe, gratanti Pannonis ora sinu.

Lucas Cracerus Bistriciensis

XVI. Franciscus Kopácsi: Epigramma, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (fol. ()4rv)

Aliud.

Gloria non parva est veterum monimenta virorum
Cum sera populi posteritate loqui.
Vati Pelides divino gaudet Homero,
Carmine qui claros vexit ad astra duces.
5 Aeternam Aeneas, decus indelebile, famam
Feret, in Hesperiam cum nova regna tulit.
Dives ab imperiis totum dominata per orbem
Lata Themistoclem Graecia laude colit.
10 Non minus Hungariae regum bona fama potentum,
Praemia qui patriae iusta dedere, iuvat.
Gloria, gentis honos, Matthiae est Marte recepta,
Omnibus hic terris devenerandus erat.
Hunniades veterum celebri de stemmate regum
15 Clara triumphali Marte trophea tulit. .
Gens fera bellorum studiis operumque labore
Turca suis regnis tunc male tutus erat,
Fortia dum tentat ferventi praelia bello,
Terruit imperio, quicquid in orbe fuit.
20 Cum fortis lata regnum ditione teneret,
Pannonicae gentis gloria summa nitet,
Res cuius gestas victriciaque arma secutus
Bonfinus gentis nomen ad astra tulit,
Praeliaque heroum, quos Hungara terra triumphis
25 Ante aluit, scriptis conspicienda dedit.
Quae Stygiis quamvis tenebris submersa iacebant,
Illa tamen certa sunt renovata fide.
Sedula mens, pietas, Helti officiosa voluntas
Pannoniae redeant ut nova sceptrata, roga.
30 Ergo qui cernes genus hoc laudabile scripti,
Gasparis integrum et cura retexit opus.

Franciscus Copacius

XVII. Iohannes Pécsi: Epigramma, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (fol. ()4v)

Aliud.

Italiae tellus, celebris quoque Graecia semper
Nutriit et summos Teutona terra duces,
Vix tamen emeritas virtutibus illa secundis
Matthiae laudes regis adire potest,

5 Bonfinii cuius solers modo rite diserti
 Ingenium pandit Martia gesta, decus.
 Flos erat hic patriae princeps augustus et idem
 Spes fuit Aonii non dubitata chori.
 10 Ergo potest merito patriae pater ipse vocari,
 Dignus erit patrio semper honore coli.
 Hunc metuere duces, magni timuere tyranni,
 Matthiae domuit quos fera dextra ducis.
 Te quoque, Bonfinus, per quem liber ecce recusus
 Limina Pannonicae posteritatis adit,
 15 Caspar amande bonis, laus altera, fama superstes,
 Est opus, et florens ut comitetur honos.
 Ergo quibus livor non viscera torquet iniquus,
 Haeret at in studiis mens generosa bonis,
 Hanc legat historiam Matthiae gesta docentem,
 20 Invicti regis fortia bella sciet.

Iohannes Quinqueecclesiensis

XVIII. Valentinus Tolnai: Epigramma, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (foll. ()4v–()5r)

Aliud.

Qui monimenta cupis regis cognoscere summi
 Matthiae et Martis clara trophaea sui,
 Discere si vitam, claros super hoste triumphos,
 Queis similes toto vix legis orbe, libet,
 5 Huc ades, hoc volvas iterumque iterumque revolvas,
 Cuncta legendo tibi suppeditabit opus.
 Si quem scire iuvat peregrinae praelia gentis,
 Nonne magis patrias res didicisse decet?
 Res lacrymosa satis, quod gens fortissima paucos
 10 Praecones meruit laudis habere suae.
 Hic quoque Bonfinus, qui nunc emersit in orbem,
 Vix Phlegetontaeis est revocatus aquis.
 Posteritas multum debet serior Helto,
 Excitat obscuris quod bona scripta locis,
 15 Atque facit vasti percurrere climata mundi,
 Officii referat foenora iusta, precor.

Valentinus Tolnensis

XIX. Iohannes Zilahi: Epigramma, Claudiopoli 1565.
Legitur in editione c (fol. ()5r)

Aliud.

Choriambicum Asclepiadeum

O plebs Hungariae, Martia semina
Forti thyrigenae pectore fervida
Bellonae studio dedita nobili,
Gens sic Hunniaci posteritas ducis,
5 Regis gesta tui concelebres sacri
In lucem Patavino data nunc tibi
Filo, Maeoniis, inferiora nec,
Genti Cecropiae quos dedit amnibus.
Non est splendidior palma nec Hectoris,
10 Matthiae celebris gloria quam ducis,
Coelorum ad dominos quae mage duceret,
Matthiae inclyta quam facta sacrata te.
Hunc tu magnificis tollere honoribus,
15 Quas illi in proprio repperis horreo,
Non cesses, moneo, Martia gens, ducem,
Per quem Pannoniae gloria, nomen et
Creverunt tituli, laus simul imperi
Ad cursum rutili solis ab Hesperii
Vergentis domibus per freta dissita.

Iohannes Zilahinus

XX. Georgius Serarius de Kolozsvár: Epigramma,
Claudiopoli 1565. Legitur in editione c (fol. ()5rv)

Aliud.

Vivida perpetuo florescit gloria laudis,
Immortale decus, famam vaga gloria coelo
Terminat, aeternum est atque indelebile nomen.
Talis Poeoniis diluxit gloria rebus
5 Clarior et cunctas superavit lumine gentes.
Una inter mortalia res nitidissima virtus,
Fulgidius tamen haec Matthia rege recenter,
Quo duce Pannonium pulsavit sydera nomen,
Ceu viridis gemmas inter fulgore smaragdus
10 Emicuit magis. O regum rex maximus, eheu,
Qui tanta eversis peperisti commoda rebus,
Poeoniis decus omne viris, memorabile nomen,
Tu gentilis honos, cognomen nobile nostro

15 Tu generi, tacitis ne igitur sileare diebus,
Conveniat? Nec mactus honos rumore perenni
Vivat? Vel pereat tantarum gloria rerum?
Est rerum Ilias hic Bonfinii scripta disertis,
Solertis qui facta ducis, qui bella notavit,
20 Qui mores, qui mentis opes et rebus adumbrat
Omnia praeteritis, dulci vel nectare dulcis
Est magis authorum et rerum doctissimus, ergo
Si sapis, hunc solito citius pervolvito librum.

Georgius Serarius Claudiopopolitanus

XXI. Demetrius Agricola de Szikszó: Epigramma,
Claudiopoli 1565. Legitur in editione c (foll. ()5v–()6r)

Aliud.

Cum deus magni moderator orbis
Inter hostilem rabiem impiorum
Protegat Christi placide catervam
5 Tempore in omni,
Excitat reges validos in armis
Ense praecinctos, avidos feroci
Marte pugnandi veluti leones
Robore fortes.
Hos deus virtute duces decenti
10 Instruit, quo magnanimi rebelles
Conterant hostes, populi ut quieta
Pace fruantur.
Pannonos talem pietate clari
Et graves bellis habuere regem
15 Marte Matthiam celebrem cruento,
Stemmata magnum.
Hic erat fortis, moderatus heros,
Praeses invictus patriae, duello
Dispulit qui terrifico minantes
20 Paeonis orae.
Huius admiranda decet notare
Posteris gesta Hunniadis potentis,
Sicut heroum celebrata fas est
Noscere facta.
25 Illa Matthiae generosa regis
Scriptor hic Bonfinius acta nobis
Prodidit doctus memorans diserte,
Candide lector.

Demetrius Agricola Szikszai

XX.23 Claudiopopolitanus c Claudipolitanus

XXII. Iohannes Pesti: Epigramma, Claudiopoli 1565.
Legitur in editione c (fol. ()6rv)

Aliud.

Dignum laude reor tacitum mansura per aevum
Clara ducum scriptis semper monumenta disertis
Doctorum celebrata virum meritisque camoenis.
Invida posteritas sed mox volventibus annis
Saepius ingrata suppressit talia mente.
Indicat hoc etiam nostrorum vita priorum
In lucem studio Antonii revocata diserti,
Quorum fama diu latuit, longosque per annos
Obscuris visa est noctis demersa tenebris.
10 Ecquis enim patriis Hunnum celebrasset in oris?
Clarus at ingenio Bonfinius ore rotundo
Historiam culto scribens sermone perennem
Pannoniae nostrum tollit super aethera nomen,
Gestaeque maiorum tetro sic eximit orco.
15 Omnia mandantur scriptis quaecunque disertis,
Illa vetustatem pariunt longaeva manentem.
Ergo tempus edax famam ne devoret istam,
Eruta diversis annalibus inclytus Heltus,
Cui merito celebrem virtus dedit ardua famam,
20 Edidit in lucem solers tenebrisque malignis
Eripuit dignos hac posteritate priores,
Sub quibus Hungariae veteris Mavortia tellus
Claruit, enituit, cum Pannona gloria vixit.
Quos iuvat antiqui cognoscere temporis acta,
25 Cura sit excultas vigili coluisse labore
Historias rerumque vices, discrimina, normas.

Iohannes Pesthius

XXIII. Caspar Heltai: De origine Hunnyadiorum, Claudiopoli
1565. Legitur in editione c (foll. Alr–A2r)

- 1 Antonius Bonfinius telam genealogiae Matthiae regis texens gemina utitur
narratione, una, qua longis ambagibus a Corvina Romanorum familia parentelam
Matthiae regis deducere conatur, altera, quam fabulae vocabulo insignit com-
mentumque Allemanicum esse contendit. Ego quid de ambabus sentiam, brevi
2 scripto (pace tamen aliorum) ostendam.
- 3 Ut nemo est ex historicis, qui non suis affectibus in patriarum rerum recitatione
subserviat, ita et viro docto Antonio Bonfinio contigisse iudico, qui quum Ro-
manus esset et genti suae non minimum splendorem ex huius inclyti herois
maiestate accessurum existimaret, eum e Romanorum quadam veteri familia

4 deducere maluit quam iuxta historiae veritatem verum ipsius genus sub obscurum
 odiose ostendere. Verum enimvero neque proprio gentis amore inductus, neque
 5 fulvo donario corruptus, neque terrore aliquo percussus veritati vim bonus vir in-
 ferre debebat, quum historiae vinculum firmum ac nervus sit ipse veritas. Sed
 plurimum, inquis, praestantissimis viris, qui gloria et laude aeterna ob multiplicia
 6 facta heroica videntur digni, generis sui obscuritas derogare videtur. Respondeo
 hunc ne vum de iusta gloria eisdem nihil demere, imo si quippiam etiam detraheret
 attamen de gloria dei nihil, qui ut res maximas efficiat, parvis ad suum institutum
 exequendum mediis ac instrumentis utitur, ut summa gloria et maiestas penes se
 7 maneat, reliquis vero omnibus merito eripiatur. Unde et ille dixit: Ludit in hu-
 manis divina potentia rebus.

8 Matthiae igitur regi Iohannes Hunnyades pater fuit, quo proestantiorem domi
 militiaeque virum illa tempora non viderunt. Iohanni vero Hunnyiadi Sigismun-
 9 dus imperator Romanorum et Hungariae atque Bohemiae rex pater fuit, matre
 10 autem Valacha natus. Sigismundus enim in Transylvania agens ac contra Turcos
 Galambotz versus ex nationibus Transylvanicis exercitum cogens ac undiquaque
 militem conscribens in vicinia castelli Hunnyad circa pagum Thelec castra me-
 tatus est, ubi quum eum libido coeundi incessisset, accensi puellam ingenuam
 eamque venustissimam ac formosissimam Valachi cuiusdam ex Morsinianorum
 familia filiam eidem adducunt, cum qua ea nocte concumbens gravidam illam ef-
 11 fecit. Ab expeditione tertio exacto mense revertens puellam denuo repetit ac
 eandem gravidam deprehendit. Quum vero magnifice eam donasset, symboli loco
 12 annulum eidem tradit, mandatque, ut quicquid pareret, diligenter aleret educa-
 retque, postea ad se cum symbolo mitteret. Hanc deinde ample dotatam post-
 13 quam facinus detegi coepisset, Valachus quidam Woic Buthi ex Transalpynis
 profugus vir non ignobilis uxorem duxit. Is enim ob dotis amplitudinem et ingenui
 14 stupri gloriam oblatam a puella conditionem minime recusavit. Completo tandem
 tempore puella fit mater, nam scitum et elegantem puerum aedit, quem Iohan-
 15 nem appellat. Accidit postea, quum puer in cunis praeter solitum vagiret ac a ma-
 tre nullo modo placari posset, annulum aureum ab Sigismundo symboli loco da-
 16 tum digito detrahit ac puero porrigit eumque hoc dato munere placat. Corvus in-
 17 terim arbori insidens rem nitidissimam in manibus pueri conspicatus derepente
 18 advolat et annulum e pueri manibus rapit. Mater ingenti dolore correpta maritum
 subito exorat, ut corvum insectetur et annulum recuperet, ne pueri spes magna
 19 inauspicatae avis rapina perderetur. Maritus solícite corvum insequitur ac tandem
 20 confosso sagitta corvo annulum continuo recipit. Dum haec fiunt in Transylvania
 in districtu terrae Hatzac, interim Woic Buthi a dynasta Transalpynum Mircze
 21 revocatur ac suae dignitati pristinoque splendori restituitur. Tandem in tertia
 expeditione Iohannes iam eximiae pulchritudinis adolescens materno iussu in
 Transalpynis ad Sigismundum imperatorem venit, eidemque annulum symboli-
 22 cum ostendit. Is tandem Iohannem adhuc ephebum e Transalpynis oris in Tran-
 sylvaniam transtulit, Hunnyiádicsique praediis, quae in extrema Transylvanicae

9 Hungariae c Hungarie

16 munere c muuere

18 spes c fpes

20 Buthi c Burhi / Transalpynum c Transalpynenû

- 23 ora Hatzakinum versus sita sunt, donavit. Ita Iohannes ab Hunnyadico castello
 cognomen est sortitus, generosoque sanguine succensus et Transylvaniae finiti-
 24 mus in provinciam venit. Aꝓ in memoriam admirandae dei providentiae corvino
 et annulato insigni perpetuo uti voluit, quo et in summo postea fastigio constitutus
 omnem lineam maternam, universam Morsiniorum familiam ornare ac insignire
 voluit, quod et in hodiernum usque diem in usu habet.
- 25 Bonfinius igitur unicus istius commenti author est, extra quem ex historicis
 26 nullus Iohanni Hunnyadi Romanum Corvinianae familiae nomen impingit. Hanc
 autem historicam narrationem nostram vulgaris fama roborat et eorum nobilium
 virorum constantia testimonia, quorum avi Iohanni Hunnyadi optimo ac strenuis-
 28 simo principi a pedibus fuerunt ac ex multis praeliis eius gloriosa vulnera repor-
 tarunt. Matthiam igitur Corvino cognomine insignire licebit. Ita tamen, ut illud
 non ex veteri Romanorum aliqua Corvinorum familia, sed ex paternis corvi anu-
 29 lati insignibus consequatur. Nam omnes circumstantiae, multorum praestantium
 virorum testimonia et communis vulgi fama huius narrationis veritatem ac certi-
 tudinem stabiliunt et confirmant.

Nota marginalia in editione c

Ad sent. 1.: Censura de narrationibus Bonfinianis. **3.:** Bonfinius Italus quaerit gloriam gentis suae. **5.:** Obscuritas generis heroicis viris nihil detrahit. **6.:** Deus humilibus delectatur. **8.:** Matthiae regis genus. **9.:** Sigismundus imperator et rex Hungariae. **10.:** Thelec pagus, ubi mater Ioh. Hunnyadis sepulta est. **13.:** Woic Buthi vitricus Matthiae regis. **15.:** Ioh. Hunnyades nascitur [c nascitur]. **16.:** Miranda etc. providentia. **21.:** Iohan. Hunnyades Sigis. patri sistitur. **23.:** Unde Ioh. cognomen Hunnyadis sortitus. **24.:** Insignia Ioh. Hunnyadis et familiae eius corvus annulatus.

XXIV. Caspar Heltai: Epilogus, Claudiopoli 1565.

Legitur in editione c (fol. X1v)

- 1 Antonii Bonfinii libri quatuor, qui ex hac decade quarta desiderantur, inviden-
 tia malevolorum suppressi sunt, quemadmodum et isti hactenus in tenebris lati-
 tarunt, verum qui boni sunt, veri et recti amantes, huiusmodi suppressionis non
 possunt esse authores, nisi qui magis tenebras quam lucem amant et in gratiam
 2 malorum etiam ad omnia iniusta et turpia prompti sunt ac parati. Viros igitur ho-
 nestos et ingenuos reverenter et amanter peto, sicubi quatuor libros Bonfinianos
 annorum quatuor et trium mensium historiam continentes extare noverunt, ut
 horum nobis copiam facere dignentur, quo et illi publicari possint, et opus in-
 3 scriptioni cum magno lectorum commodo respondere queat. Grata mentis signi-
 4 ficatione hanc operam ab honestis et ingenuis viris amplectemur. Vale.

1 decade c decadae

XXV. Iohannes Sambucus caesari Maximiliano II., Vindobonae
24. Iunii 1567. Legitur in editionibus **sfh** (pp. 3–8.) et **i** (pp. 5–10.)

- 1 Invictissimo potentissimoque caesari Maximiliano II. Ungariae, Boemiae,
Dalmatiae, Croatiae etc. regi, archiduci Austriae etc., domino, domino suo cle-
mentissimo, deinde pontificibus, comitibus, baronibus, equitibus populoque
Pannonico etc., dominis et popularibus suis salutem.
- 2 Omnis hominum vita et memoria quaedam est historia atque, ut praeteritorum
exemplis aetas nititur sequens, ita praesens, cum quid non leviter aggreditur,
3 utrunque tempus coniungit. Sed ut hominum tria veteres genera prodidere, qui
ipsi rebus suis volunt ac possunt consulere, qui alienum perpetuumque subsidium
expetunt, qui nec ipsi quicquam ingenio valent, neque amicorum ope uti solent,
ita qui negligunt, quae praeteriere, sua parum norunt instituere, qui futura velut
sortem expectant aliundeque pendent, servi quodammodo natura videntur et
multa praeter opinionem sustineant, necesse est, de tertio illo prorsus ignavo et
4 inerti ordine nihil dico. Qui igitur vetustatis capiuntur observatione cumque iis,
quae occurrere possunt, componunt, ad primum sunt aggregandi numerum, qui
lectionibus modo fidunt, et quae abiere, tanquam *κατακλωσμόν γεγενῆσθαι* arbi-
trantur, aliorumque se imperio ac sensui obiiciunt, ad secundum, qui penitus
omnem solitudinem ab animo excludunt, ne quidem hominis illi merentur ap-
5 pellationem. Etenim cum natura laudis stimulos aeternitatisque cupiditatem no-
bis ingenerarit, qua aliis praestare, praesse autoritate velimus, relictos a mente
et iudicio, qui nocitura declinare aut praesentire secutura nequeunt, existimo,
quod hominis sibi cavere sit et ex disciplina Christiana cum reliquo tempore, quae
6 usui sunt, communicare. Verum enimvero post debilitatam vitio naturam, quando
memoria nostra ea non sit amplitudine et fide complecti, ut cuncta et longius ab-
sentibus vel annis posteritateque consecuturis laudum vitiorumque facta impertiri
facile possit (omnis cum in tenebris praesertim vita laboret), literis illa testibus
simul et custodibus mandantur, ut, quae providentia summi dei vel hominum
recta mente aut ambitione et prorupta audacia suscipiuntur, aut gesta sunt, velut
in speculo imagines ita historiae nobis cum initiis, causis, progressibus, eventis
mutationes imperiorum, conversiones, translationes, singulorum quoque hor-
rendas poenas, virtutes omnium laude maiores repraesentent, quibus velut du-
cibus et adminiculis nostra consilia et negotia formemus et corroborati perse-
7 quamur, in amicorum rebus prospiciendo vehementer cupiamus. Sunt igitur ve-
tustatis nuncii omnino necessarii semperque vel ante Mosen fuere, alioqui unde
constitutionem universi nobis ille tam dilucide et plene ob oculos posuisset, vim-
8 que intelligentiae nostrae quae superant, intime aperuisset? Ac iure memoriam
cum gratia illis praestamus, quod qui digni sunt, laude eos non fraudent sua, nos-
9 que ad similia et immortalitatem invitent. Quare cum sacratissimam tuam maie-
statem in primis, vos quoque patres popularesque studiosissimos historiarum usu

1 Boemiae **i** Bohemiae

3 qui . . . consulere **i om.**

5 praesse **h** praeesse

6 recta mente aut **b om.** / suscipiuntur **i** suscipuntur

7 nuncii **fhi** pronunciatōres

8 immortalitatem **s** immōrtalitatem

rerum etiam confirmatos ac exemplar illustre rerum esse minime ignorem, facile amicorum ego cohortationibus adductus sum, ut Bonfinium a me recognitum et quindecim libris aliisque multis auctum ornatumque iterum edendum curarem, ut si quae nondum cognossetis, hinc peteretis, exterarum vero nationes, quid Pannonii olim valuerint, qua occasione infracti depositique sint, secum expenderent, quae spes reliqua sit, vosque populares maiorum exemplo, quid optare, tanti caesaris et regis auspiciis Maximiliani II. domini nostri clementissimi et omnis Europae societate adiunctaque ope conari debeatis, certius consideraretis, studia enim vel

10 remotissimarum gentium deesse nobis haud conqueremur. Verum tua, caesar invictissime, clementia vestraque, proceres ac alii ordines, venia de historiarum proprietate, usu, ratione si quid hic interposuero, non inepte facturus propter rudiores videbor, deinde ad tuam sacratissimam maiestatem vosque patres

11 popularesque mea redibit ipsumque Bonfinium oratio. Historiam omnem quidam narrationem, cognitionem, inspectionem, audita quae referuntur,

12 definiunt, idque multiplici vocis potestate. Sed in Euterpe Herodotus *αὐτόπτην καὶ ἱστοροῦντα* non obscure disiungit, Plato in Cratylo ab *ἱστασαι τὸν ῥοῦν* notationem ponit, quod memoriam labilem tanquam fluvium perennem sistat et custodiat, quo et Cicero allusit. Quod si etymo nitamur, fortasse vim eius, si *ἀπὸ τοῦ ῥεῖν τὸν ἱστὸν*, quod est filum vel pensum ducere currereque, ducamus, melius expresserimus, siquidem tracta et fluens est ipsius

14 oratio perpetua et velut texta. Sed rem ipsam propius inspiciamus, deque proprietate vocem coerceamus. Ex Livii vestibulo definitionem hanc colligere possum, ut sit rerum gestarum varia praesertim publicarum ordinata, intellecta, utilis, vera et cum brevitate dilucida narratio, quod ipsum et alii multi et Tullii encomium comprobant. Nec vero quis hac sententia illis Herodoti verbis demoveri patiat

16 *ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα πειθέσθαι γὰρ μὲν, ὃ πάντα πᾶσι ὀφείλω.* Id enim de quibusdam obscuris variaque iactatis opinione, quomodo et Livius et alii quaedam dubie narrant, non de universae historiae dignitate accipiendum est, nam tria sunt in rerum gestarum omnisque antiquitatis annotatione praecipua, quae reiici debent, cum res ficta et mendax est, cum temporibus non

18 consentit, quando studii morbo affecta proprioque corrupta est iudicio. Certe si quid nescias aut fingas, nihil fidenter constitutoque animo ex eiusmodi narratione proficiscetur, si erratum in ordine et tempore sit, fidem recusat posteritas, si etiam officio nimio studioque obsequendi aut calumniandi imbuta sit, non id sanabile unquam vulnus erit minus expositoris consilium aequum. Ea re, quando historia

19 pura, vera, quod opus est, collocata, cum brevitate perspicua, minime affecta vel multiplex scribi debeat, qui ad hoc scriptionis genus se contulere, quanti sint faciendi, quivis animo comprehendere potest, cumque actiones humanae praesertim civilibus negociis aut singulorum moribus aut familiae administratione definiantur, terminatae narrationes, ut doceant, non ementitae, ne decipiant, non turbatae, ne offendant, verae, ne noceant, breves expositaeque, ut gratiae sint memoriaeque sepiantur, non ad gratiam cuiusque vel odium quaesitae, ne susphec-

9 cognossetis i cognoscetis

12 in s om.

13 ἀπὸ i περὶ

16 λεγόμενα i λεγόμενα / πάντα i περὶ / ὀφείλω i ὀφείλω

17 praecipua s praecipue

19 cuiusque s cuiusquam / et damnatiunculis s om. / id i om.

tae lectorem alienent, ab alio, quam rerum gestarum autore, si fieri potest, con-
 20 fectae, ne scrupulum ambitionis fideique animis commoveant, compertae te-
 stataeque, ne vanae in errore inducant, verbis et oratione congruae, non omnino
 21 cultu posthabito, digressionibus nisi necessariis et ad percipiendum reliqua inser-
 tis nunquam cumulatae, concionibus liberae, iudicio scriptoris et damnatiunculis
 vacuae, nisi ex persona aliorum et exemplo, ut quid verum sit, appareat, id modice
 22 fiat. Cohibebit narrator suum iudicium, epilogos, episodica, epiphonemata nihi-
 lominus vitiosa reprehensioneque digna, quae ex virtute sunt collocanda, lector
 23 putabit, ut magistra sit vitae, lux veritatis historia. Adde, ne minima quaeque
 dramatis more inutiliter consectemur, quibus omissis fraudi nihil contextui rerum
 fiat, in quo peccare etiam Livius fertur, cum alibi tum in Hannibalis transitu mi-
 nutissime 3. decade descripto, ita Xiphilinus e Dione, in Titum Vespasianum de
 Domitiano, quod muscas eum captasse narravit, veniam recte postulasse ait.
 24 Adulatio vero ut pestis fugienda historico est, quod ea corrumpantur omnia, ob-
 scuritatem rebus praetendat, dubitationem vel maxime claris obiciat, a qua ne
 Thucydides quidem in Atheniensium rebus liber fuisse Diodoro Siculo teste vi-
 25 detur, vetus est *δανεία τὸς δούλους ἐλευθέρους ποιεῖ*. Posteritatis ergo usibus
 ac intelligentiae fideli inserviendum nomina gentilium familiarumque apponen-
 da, in qua parte mirari quosdam emendatores hodie soleo, qui de Graecis inter-
 26 pretibus et transcriptoribus priora latina corrigere nituntur, vimque et confusio-
 nem linguarum idiomatibus afferre non verentur, nomina et cognomina variant.
 Ordo, uti quaeque accidere, servetur, nitor non omnino excludatur, redundant
 27 pauca verba, ut deliberationi ansam praebeant, pars tamen ut oratoriae ista fa-
 cultas esse comprehendatur, efficiendum. A *μέθοδος* sit dispositio et temporibus
 certa expositio tamen artificiosa constet, narrat quidem orator, sed quia vehe-
 mens est et victoriam quaerit, in digressionibus et tenendis auditoribus liberior
 28 effusiorque est, ut vel ad fabulas interim persuadendi sensu delabatur. At histo-
 rico solum *τὸ πρᾶγμα* proponitur velut crassior et privatis ostensa exemplis co-
 gnitio et breviter *σύνεσις* rerum *καὶ δύναμιν ἐρμηνευτικὴν* debet expositor non
 29 vulgarem possidere. Dramata et reliqua poemata fictas actiones singularium
 prosequuntur imitatione, morum et vitae circumstantias, quaeve naturae conve-
 nienter fiunt, de moribus disputatores pertractant, historia nisi utilia, vera et pu-
 30 blica nihil sumit, et ad politiarum consuetudinem plerumque et gubernationem
 revocat. Poetae sola certa que deligunt, delectatione condiunt, et suavitate audi-
 tores morantur, historia plura sine perturbatione recto simplicique modo explicat,
 etsi non desint poetae mixti fabulis et rebus gestis, quibus extra hos aliquid can-
 cello, dum tecti ambigique historici videntur, permittendum sit, cuiusmodi
 Lucanus, Virgilius, Stadius, Silius, Valerius, de Graecis Homerus, Apollonius,
 Orpheus fuere. Ordinis quoque et *συνθήκης* poetarum ab historia ratio diversa
 observatur, dum scenae aliter quam posteritati iudicaturae praesentibusque te-
 stibus sit satisfaciendum. Dialogi inter hos medium et quiddam magis philoso-
 phum sapiunt, siquidem res plerumque graves, controversae, fictis etiam perso-

22 *δανεία* i *δενύια* / *ἐλευθέρους* i *ἐλευθεροίς*

24 uti i ut / ista *fnl* ipsa

26 ostensa exemplis *hl* exemplis ostensa / *σύνεσις* i *συνεσιν* / *ἐρμηνευτικὴν* i *ἐρμηνευτικὴν*

27 circumstantias i circumstantias / vera et *s* et vera

30 siquidem *fnl* *addunt* eis / *adducunt* *fnl* *adducuntur* / *ἠθογραφαίς* i *ἠθοτραφαίς* i *ἠδο-
 τραφαίς*

narum sermonibus, qui nunquam fuere, adducunt, genus tamen dicendi tenuius, nec ἡθογραφίαις usquequaque congruens, ne ex umbris et scholarum suggestis
 31 in forum et subsellia elapsi dicantur. Quare poeta semper imitator, pugnax orator et argumentosus, historicus simplex, planus, certus, tutus, utilis, nihil
 32 έξω τοῦ πράγματος accersens, ideo licet Homerus et Virgilius historias contineant, manent tamen poetae et poetae, quales vix recentioribus historiis interdum
 33 postponas. Sed et in historicis quidam universa publicaue edunt, alii membratim atque continuitate quiddam separatum proferunt, nec pauci propter unum scopum multa et varia indidere, quidam singulorum vitas recitarunt, nonnulli temporum rationem singularibus conservare voluere, reperias, qui contextui quasdam rerum
 34 ἐξήγησεις copularunt, ut facile dicas hos chronicos esse, alios chronologos, topicos alios et βιογράφους καὶ τοὺς περὶ τὰ τῶν προσώπων, alios περὶ πράξεων καὶ τῶν πραγμάτων, multos παλαιοκαινοὺς καὶ φνισιστορικοὺς. Iam ex his generibus sequitur, quid utilitatis custodia rerum et veritatis testimonia nobis praebeant, ac Lucianus brevissime admonuit, cum ait ἱστορίας ἔργον καὶ τέλος τὸ χρήσιμον, ut prosit, doceat, moneat, informet, constituat, quod salutare, eque publico bono et separato videtur, in medium efficiat atque suppeditet, nec abs
 35 re Nazianzenus in quadam oda συμφερτήν σοφίαν vocavit, quod vel oratores plus exemplis quam ullis coactis suis et conglobatis sententiis obtineant. Ac mihi quidem illud in VII. Strabonis de libera a coniugio vita non male ad ignaros historiarum referri posse videtur, qui coelibes semivivos dixerit, vitae humanae parum utiles et dubiae lucis, quoniam pulcherrimum ille thesaurum se possidere censeat, qui ad vicissitudines casusque humanos ratione exemplisque munitus, aliis prodest, adversa lenit, communia, non privata duci, privata moderari, levare dolorem, diurnitatem malorum praesentia et brevitate repraesentare didicit, secundis non effertur, fortunae memor est, eamque ob rem Thucydides κτήμα εἰς ἀεί
 36 ξυγκείμενον historiam pronunciavit. Et unde, quaeso, vel Aristoteles sua Rhetorica morum rationem et huius generis, nisi de elogiis Isocraticis et historiis investigavit? Iureconsultorum tot volumina quid, nisi similium perpetua est commemoratio, circumstantibus tamen et gentium varietate, imperatorum iussis confirmata exempla? Nec eos probabo unquam, qui vel pro tribunali ius dicundo vel patrocinium aliis impartiendo citra historiarum negotium laudemque
 37 professioni quaerunt πῆλον ταῖς χερσὶ φνρᾶν, στέαρ εἰς ἀρτοποιίαν τοῖς ποσὶ τυγχάνοντες, quod ἱστορία φιλοσοφία τίς παραδειγματώδης, sic rationes morum et indolis consiliorumque progressus philosophis et legibus concedens nudum
 38 πρᾶγμα καὶ τὰ συμβεβηκότα ipsa recipiens, ut philosophus vult ad Eudemum. Nec puto ullam esse aetatem aut vitae genus, quod magis quam ista cogitatione a molestiis avocetur, iucunditate morbos laxet, curis expediatur, nec ullius philosophi acumen ad divinitatis maiestatem, naturae obscuritatem et opum, quas miramur, scientiam propius, quam historici gravis sibique et aliis parata memoria

32 atque s aque / conservare shi conservarunt / voluere shi om. / hos s om. / παλαιοκαινοὺς ἢ παλαιοκαινοῦς

33 cum i eum / ἔργον ἢ ἔργον / informet i om. / Nazianzenus sh Nazanzenus

34 quoniam fhi quod

36 similium fhi causarum

37 probabo unquam hi unquam probabo / dicundo s dicunt hi dicendo / impartiendo s impertiunt / laudemque hi laudem / sic hi sit / recipiens fhi retineat

38 molestiis i molestis / γενικά ἢ μενικαί

penetrarit, quod τὰ γενικά minus quam singularia instruant et condocificent.
 39,40 Verum satis haec sint de historiae laude seu potius nimis multa repetita. De Bon-
 finii nostri vita, patria, monumentis ipse in IIII. decade prolixè meminit, quantum
 vero ingenio non ad hoc argumentum modo sed ad omnem omnino philosophiam
 excelluerit, brevi dialogi eius de pudicitia coniugali vulgo testantur, Herodianus,
 41 Hermogenes latini, nec vino huic indice opus est hedera. Praeterire tamen ne-
 queo paucarum esse gentium historias copia et stilo pares, quantivis alii Iovium
 42 suum faciunt pronunciatorem grandem, nescio, quam sincerum. Ac memini cla-
 rissimum et consultissimum dominum Seldium saepe dixisse nullo se in scriptore
 post Livium et aequales eius quam ipso hoc Bonfinio vacuas horas libentius po-
 nere solitum, qui vir, si haec reliqua eius et quae nostris vigiliis accessere vidisset,
 43 omnibus fortasse recentioribus facile hunc antetulisset. Nam XV libros adieci,
 quorum decem e bibliotheca dominorum Revaï cum aliis (credo) communicati ad
 me pervenere, quinque posteriores nobilissimus ac doctissimus antistes Vara-
 diensis Franciscus Forgatz etc. ante paucos annos Oporino typographo Basiliensi
 a Christophoro Trecio primum communicatos liberaliter mihi detulit, nec pauca,
 44 quo est iudicio (qui et ipse annales texere fertur) nomina corrupta restituit. Hunc
 nostrum laborem maximus quoque archiepiscopus Nicolaus Olahus etc. suo Atila
 per ocium olim in Belgis, dum consiliis et fisco reginae Mariae praefuit, conscripto
 45 non difficile cumulavit. Quae in extremo sunt, nostris lucubratiunculis velut
 46 maiorum vigiliarum specimen prodeunt. Caeterum ut Bonfinii laudes non sunt
 obscurae, ita dissimulare nequeo, nonnihil ipsum officii sui oblitum, in mores
 privatos et vitam Friderici calumniose impotentiusque effusum secus quam Li-
 vium, Salustium, Tacitum, Suetonium in Romanos orbis dominos gentemque
 togatam fecisse constat, idque fortasse redempto a Mathia iudicio et calamo eius,
 quae rerum seriei nihil detrahunt, nec Mathiae tamen interim pepercit usquam,
 quem impudentem, voluptuosum, theatri deditum, ambitiosum, ferum, in
 adiungendis amicis praecipitem, in relinquendis facilem, adulatoribus benignum,
 47 immemorem beneficiorum ausus sit dicere. Quid gravius in tantum regem dixe-
 48 ris? Ut mihi aetatum contrariarum vitia exaggerare more philosophi in secundo
 Rhetoricorum potius quam eis locis texere historiam voluisse sit visus, quo ex
 49 ἠθοποιίας causae occasionesque bellorum facilius lectori patere soleant. Ac po-
 tuissem sane quaedam iuste litura inducere, nisi adversariorum stilum et intem-
 perantiam metuissem, qui proni quavis de causa in legem Cornelii de infamia fa-
 cile ruunt, ac constaret bonos viros τὰ ἔργα, οὐ πάρεργα considerare debere, no-
 stro vero hoc saeculo gravius etiam in manifestis et heri actis rebus odio vel precio
 50 in historiis peccari. Ac in ea sum spe vestrae caesareae maiestatis omniumque
 bonorum gratiam his vulgatis mihi adiunctum potius quam ullam creatum iri of-
 fensam, supplexque oro tuam maiestatem vosque populares, ut meis propriis hu-

40 IIII. **hi** 4. / brevi **fhi** *om.* / pudicitia **s** pudicia / testantur **s** testabuntur / Herodianus ... latini **s** *om.* / indice **fhi** *om.*

41 stilo **i** stylo / quantivis ... sincerum **s** *om.*

42 consultissimum **i** consulrissimum

43 nec ... restituit **shi** *om.*

46 sui **fhi** *addunt* interdum / Friderici **fhi** *om.* / Mathia **hi** Matthia / Mathiae **hi** Matthiae / interim **fhi** *om.* / usquam **fhi** *om.*

48 contrariarum **hi** contrariorum / ex **fhi** **o**ξ

49 stilum **i** stylum / ἔργα **i** ἔργα

- ius generis conatibus benigne adsitis, quod per se hae vigiliae seu *πραγματεῖαι* non sint *πολυτάλαντοι*, tuae maiestatis principumque liberalitatem exigunt,
 51 quam nulla in parte mihi defuturam omnino mihi pollicear. Itaque ut fit, deum
 optimum maximum intime precor, qui vestram maiestatem ad salutem commu-
 52 nem suorumque diu tueatur, vos vero, populares, ad patriae antiquam laudem fa-
 cinoraeque excitet, in amore et cultu tanti regis perpetuo conservet. Valeat ve-
 stram caesaream maiestatem vosque, patres et ordines reliqui afflictæ Panno-
 niae, meumque studium, qui XXII annis peregre versatus admodum iuvenis pri-
